




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 H
30
VII 1
13-3. M, 14



SYNOPSIS CONSTITVTIONVM

Religionis Cleric. Regular. Pauperum Matris Dei

SCHOLARVM PIARVM

Cum Notis, & Additionibus


EX

Literis Apostolicis, & Decretis Capitulorum Generalium.

Accedunt aliquot Ritus particulares, nonnullæ Ordinationes Præp. Generalium,

ET

CONSVETVDINES.



Romæ, Typis D. A. Herculis. 1698.

Superiorum Permissu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apost. Pal. Magister, Ord. Prædic.

Approbatio Religionis.

Ioannes Franciſcus à S. Petro Cler. Reg. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

INtegræ, perfectæque Legum in Religione noſtra vigentium Obſeruantiæ ſeriò animum intendentes, ad mentem complurium Capitulorum noſtrorum Generalium, Synopſim Conſtitutionum noſtrarum cum notis accuratè conſtruximus: Eamque, de conſilio, & aſſenſu Patrum Nobis Aſſiſtentium, cum quibus, iuxta Conſtitutionem Gregorij XV. die 28. Aprilis 1622. editam, Corpus Religionis repræſentamus, maturo examine comprobatam, ad commodiorem Religioſorum noſtrorum vſum, ac Regularis Perfectionis frugem, ſeruatis ſeruandis, typis mandari poſſe vnanimiter arbitramur. Dat. Romæ in Ædibus noſtris Scholarũ Piarum apud S. Pantaleonem die 8. Martij 1698.

Io. Franc. à S. Petro Prep. Gen. m. pp.

Hyacinthus à S. Ioſeph Aſs. Gen. m. pp.
Angelus à Concep. Aſs. Gen. m. pp.
Athanaſius à S. Barth. Aſs. Gen. m. pp.
Loco ✠ Sigilli
Bened. à S. Franc. Aſs. Gen. & Sec.



Ven. Seruus Dei
P. IOSEPH A MATRE DEI
olim Ioseph Calasantius Nobilis Aragonēsis
Clericoꝝ Regul. Pauperum Matris Dei
SCHOLARVM PIARVM FVNDATOR

Vinc. a S. Maria S.P. inuentor, et Sculp. Romę Superiorū Permissu

IOANNIS FRANCISCI A S. PETRO

Cler. Reg. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpositi Generalis

Ad Religiosos suos

PARÆNESIS.

I. Oquimur ad cor vestrum, dilectissimi Pietatis Professores: nec aliud loquimur, quàm cor nostrum; imò cor Patris nostri, cuius vices humiliter gerere formidamus. Ipse est noster Ionadab; nos omnes eius filij Rechabitæ.(1.) Quorum vtinam fidelissimam imitemur Obseruantiam; adeò constantem, vt sibi vetitum à Patre Ionadab vinum, vel ipso Ieremiâ, ad Altissimi nutum, propinante, bibere penitùs recusarint. Celebrem hanc os Domini tenacitatem commendauit, eamque præmio per-

perpetuandæ prolis affecit. Ita monemur, neglecto etiam Prophetæ indulto, Maiorum iussibus obtemperare. Abundet quisque in suo sensu: sit Propheta, & plusquàm Propheta; nisi spiritu Obedientiæ, in Legũ suarum custodia potissimùm positæ, Religiosus abundauerit, (2) huius vana est Religio: actus enim suos (quid inquam linguam suam?) non refrænat.

II. Tàm Sanctæ Obseruantiæ amore, vt arbitror, succensi, integras Legum nostrarum tabulas, in vnum compactas, vno Vos omnes ore iamdudùm efflagitastis. Id ipsum exiguo, sed nostris cumulato Statutis volumine impræsentiarum exhibemus. Quæ Summi Pontifices, Venerabilis Patriarcha noster, Generalia Comitia, vel præcipua Generales pro tempore Præpositi hucusque ordinarunt, aut laudabiles firmauere Consuetudines, nonnullis, ad vniformitatem, & regularis normæ complemen-
tum

tum, obſeruationibus adiectis, hac Synopſi ſtrictim complectimur. Nullam itaque prolixitas, nullam ignorantia transgreſſionem imposterùm excuſabit. En ob oculos viam, quâ ad perfectionem contendamus. Eam Capitularium Decretorum ſelectu, declarationibus, ac moderatione complanauimus; quemadmodum (3) multiplex,(4) nouiſſima, præſertim Generalis Congregatio, Nobis cum Patribus noſtris Aſſiſtentibus enixè commendauit. Acceſſit etiam, vt manum huic Operi, & coronidem libentiùs imponeremus, præſtantiſſimum Eminentiſſimi Cardinalis in Vrbe Vicarij Gaſparis de Carpineo, Vigilantiſſimi Religionis noſtræ Protectoris imperium. Præuidemus tamen humanæ imbecillitatis verſutias, quibus animi Deo ſacri ſpecie recti à recto ſæpe tramite deflectere periclitantur. Præuidemus quoque (5) Satanam ipſum, transfigurantem ſe in

Angelum lucis, & venenata ſophiſmatum tela aduersùs ritè ſancita intorquentem. Propterea *Regularis Obſeruantia, à falſis argumentis vindicata*, ad noſtrum omnium hortamentum, viſa eſt in hoc Operis veſtibulo proponenda.

III. Duplex fallaciarum agmen clauſtralem obſidet ſanctitatem: alterum Leges impugnat, alterum Vota. Iàm primum in aciem deſcendat. En acutiſſimam præ cæteris ſagittam. Nulla in ſimplicis Regulæ fracturâ culpa eſt; quid igitur mali? Nulla profectò in operis ſubſtantiâ; ferè ſemper aliqua in circumſtantijs culpa deliteſcit; modò neglectæ inſpirationis, modò negligentis omiſſionis, modò retardatæ, ad quam tendere Status Religioſus obligat, Perfectionis. Sæpè ſcandalum, ſæpiùs acediá, ſæpiſſimè inobedientia Regulæ ſciſſuram comitatur. (6) Eam quis ambigat, ſpeculatione magis, quàm praxi, à peccato ſecerni? Eſto

tamen

tamen aliquando, etsi perrarò secernatur; ecce languorem, ecce ruinam: (7) *luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.*

IV. Plus dicamus. Consuetudinum, nedùm Statutorum, violatio ad grauissimos lapsus viam aperit: quandoquidem ad gratiæ efficaciam minuit capacitatem. (8) *Eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, Dauid remansit in Ierusalem.* Quid hoc, nisi solius prætermissio Consuetudinis? Quid inde? Illicò adulterium cùm homicidio attexitur. Ipsomet neglecti moris tempore (9) *accidit, vt surgeret Dauid de strato suo, & deambularet in solario domus regiæ,* inspiceret, concupisceret, in præceps denique rueret. Ista non timentibus peiora prorsùs timeamus; immanes nempe ruinas, & modicas, aut nullas restaurationes. Heu quot Babylonici Regis Simulacra (10) scissus inobseruantiæ lapillus prosternit! Resurgunt; at iterum casura. Id

accidere neceſſe eſt , ſi magnum conſtructuri ædificium , quod abſque cæmenti minutijs diù ſtare non poterit , nunquam à minimis incipiant.

V. Perpende, ſiquis es , modica non curans . Conſuetudinem parui pendis? Statutum non magni facies. Laxo iam , vagantique animo audebis confabulari : ludicris delectaberis: otioſa non reſpues : querimonias proſequêris : murmura , detractioneſque minùs horrere aſſueſces. Hùc deueniſti? Iam non ſapit animæ cibus,Oratio: præ debilitate titubas in tentatione: hæc inualeſcit; ipſe ſuccumbis : Sacramentis erigeris: Erectus, nonne ſtatim ad priſtinos redis defectus? Ad priſtinos, crede, redibis caſus. Experientia te ſatis edocuit. Integrum tibi ſanctificantis gratiæ menſem, ſi parua ſpreueris,Carmeli(11) Reformatrix nō appromittit.Vitam reſumis,non vires:à morte, non à morbo emergis:
paſſim

passim moreris, passim reuiuiscis, nunquam ex integro sanaris: non etenim viuis, nisi ferè ad mortem infirmus. Hæc est lacrymabilis leuia non timentium vita: hæc, non perimentium (12) paruulas inobseruantiarum vulpes, animæ vineam demolientes, misera conditio. Vita languens, oblita feruoris, nugarum sectatrix, reficientis ieiuna Orationis, spiritualium ignara consolationum: silere impatiens, obedire coacta, vagari anxia, recolligi nescia, prona denique in ruinas. Meritò itaque cum Doctore Maximo (13) *Satis prodesse dicimus, etiam minima pro maximis cauere.*

VI. At fortassè ne minimum quidem reatum putas, Cætuum nostrorum Generalium violare Decreta; quasi nullam valeant inducere, donec à Sanctâ Sede confirmentur, obligationem? Ita sanè nascenti sinè Religionis titulo Congregationi nostræ, antequàm

Conſtitutiones Fundator depromeret,(14)PaulusQuintus imperauerat. Verùm, efformatis poſtmodum noſtris Conſtitutionibus, has ipſas, ampliſſimam condendi Leges,derogandique earundem Conſtitutionum præceptis facultatem Capitulo Generali (15) largientes, obſeruari in ijs omnibus,quæ Simplici aptabantur Congregationi, ſolâ nempe Votorum ſeclusâ tunc temporis ſolemnitate, Alexander Septimus præcepit. Cui quidem præcepto (16) binis Apoſtolicis literis pronunciato ſpecialiſſimas, adeòque ad Paulinam Legem illam dirimēdam efficaciſſimas ſubnexuit derogatorias.Nùm igitur Conſtitutio noſtra, pluribus Summorum (17) Pontificum approbationibus,ac iuſſionibus cum ſpecificis quorumcumque obſtantium derogatorijs firma, incaſſum ſtatuit, (18) tanquàm de manu Domini admittendum quidquid maior Capituli Generalis pars defini-

finierit? Nùm otiosè ipſamet Conſtitutio concludit,(19) contenta in ſeStatuta à quinque de ſex eiuſdem Capituli partibus infringi poſſe, vel immutari? Perlege, ſi aliud optas argumentum,(20) Gregorij Decimiquinti, & (21) Clementis Noni Diplomata: quibus,poſt omnes, ac ſingulos Conſtitutionum noſtrarum apices ab eodem Gregorio iampridem confirmatos,Religionis Status Inſtituto noſtro, & quæcumque in genere, ac in ſpecie Mendicantium Ordinum Priuilegia conceduntur: Inter quæ (22) legislatiua Capitulorum Generalium facultas, vniuerſam illicò Religionem obligans, citra diſcrimen connumeratur. Neque vniuerſales tantùm derogationum formulas in hiſce Priuilegiorum communicationibus, verùm etiam maximè ſpecificas, & ad abolendam præcitati Pauli Quinti ſanctionem validiſſimas deprehendes. Sole clariora ſunt iſta.Quis audeat,
ne

ne tantam patiatur lucem, sibi mentem excæcare, siue alijs, vt cæcutiant, suadere? Eia itaque, imitari non pigeat Instituti nostri Protoplastam, Generalium CongressuumDecreta, non secus ac solidas Leges, quibus adhuc Ipse obediebat, in suis Documentis, præsertim in (23) Tertiæ Generalis CongregationisIndictione allegantem. Quin imò Pontificem ipsum hac in parte sequi cogimur, cum Clemente Nono, Alexandrum Septimum; (24) qui singularissimis vtens aduersantium omnium derogationibus, decisiuum Assistentibus votum inter cætera tribuit ad actus, ex Capitulorum nostrorum Generalium Decretis, à Præposito Generali, & Assistentibus expediendos. An Isti Apostolicam Capitularium eiusmodi Decretorum confirmationem, vt eo fruantur voto, expectabunt?

VII. Retusæ hucusque (25) sagittæ paruulorum, regulari Le-

gum Obſeruantiæ plagas, & interitum comminitantes. Vtinam (26) ſagittæ potentis animarum hoſtis, cum carbonibus Religioſæ vitæ deſolatorijs, ſolemnia Vota crudeliùs impetentes, in fragmina pariter, & fauillas diſijciantur. Intendat arcum ſuum dexterrima iaculatrix, ambitio, vt nimia tenſione ſuæ vires infirmentur. Geſtiat, tanquam Voti expertem, ſolemnẽ Humilitatis Promiſſionem, Profeſſionis noſtræ ſacramento animatam configere. Hanc virtutum heroinam impenetrabili munitam clypeo pertinget, non perfodiet. Vno contra omnes ictûs iſta ſe protegit thorace: Chirographo nempè, adhuc è Generali Archiuo proclamante, Venerabilis Patris noſtri manu cum ſuis Aſſiſtentibus ſubſcripto: quo Clericis Noſtratibus quælibet ad obtinendam Ordinum promotionem petitio interdicitur: *ne Votum de non ambiendo*, inquit, (27) *quo in ipſa nos*

nos Professione obstrinximus , aliqua ex parte , vel minima, violetur , sed tutiùs, sanctiùsque impleatur . Nonne iuxta Religionis intentionem Professionem emisimus ? Nonne Religioni eadem omninò, ac Institutori suo mens est,atque intentio? Cum itaque Institutor noster *Votum de non ambiendo* nos profiteri definierit ; quis tergiuersationi , quis sophismati locus inuenietur ?

VIII. Operis desiderium, non celsitudinis ambitum pia , & literaria iuuentutis eruditio , quam Deo polliciti sumus , à nobis exposcit . Alta fortasse quærimus ? Ad montem, qui Christus est, Humilitatis Protomagister, instar ipsius, (28) præfici renuentes , confugiamus.Proximis prodesse cupimus ? Sinamus (29) paruulos venire ad nos, vt panem petentes, lacte quoque de sacræ Sponsæ vberibus, & melle de superni Sponsi labijs manante reficiamus.Apostolos imitari lubet ? Apostolicum Instituti

ti noſtri non deſeramus Miniſte-
am ob Apoſtolicæ cupidinem
ignitatis:ne potiùs honori, quàm
bori inhiare conuincamur. Nulla
atis, nulla doctrinæ, aut virtu-
am maturitas, imò nulla Gradûs
ræeminentia ſolemni Scholarum
Voto nos exoluit. Votifragus pro-
nde animus, dum ad Solia nititur,
quæ calcare non poterit, niſi Scho-
lis valedicens, Cathedram penitùs
derelinquat. Eapropter Venera-
bilem Patrem noſtrum oblatæ non
ſemel Tiaræ (30) obſtitiſſe com-
mendamus; quia Paſtoralem glo-
riam, vtilitatemque humiliter de-
clinans, Paſtoris curam, ac labores
conſtanter ampleсti non recuſauit.
Dominico namq; puerorum pau-
perum gregi (31) quinquaginta
propè annis, ad extremam vſque
ſenectam, Pietatis paſcua diſtri-
buit.

IX. Obedire vouimus, & mi-
niſtrare: obediri, & miniſtrari nul-
lo affectare licet prætextu. Elatæ ſi-
qui-

quidem ceruicis eſt, Obedientię iugo, imperandi prurigine, ſe ſubtrahere. Ardua profectò res, alieno ſub arbitrio libertatem tumulare; ſed Voto iam tumulatam eruere, prorsùs intolerabile. Sic eruta contagionem inuehunt cadauera. Nihil idcircò vehementiùs in Conſtitutionibus noſtris aſſertum, quàm Obedientia. (32) Modò Prouinciarum, Domorumque Præpoſitis Generalis Ordinationes commendant: (33) modò Subditos, nedùm Superioribus, ſed & eorum Subminiſtris parêre admonent; (34) modò Euangelicis, modò Sanctorum Patrum documentis Obedientiæ inſinuant excellentiam. (35) Ad Communitatis ſigna celeritas, in (36) aperiendo coram Superiore Conſcientias frequentia, ad (37) ſubeundum, vel innocenter mortificationes promptitudo paſſim indicitur, ſuadetur, inculcatur. Et iure quidem optimo: quandoquidem, Angelico docente Præceptore,

(38) *laudabilior eſt Obedientiæ vir-tus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt.* Vnum eſt, quod hanc virtutum omnium Parentem nec parere ſinit, nec viuere, nimirùm hominis defectûs in Prælato, non Dei ſupplementum intueri. Subinde illius iudicem fieri, eique diffidere. O deplorabilis religioſarum mentium allucinatio! Timeant, qui ita ſapiunt plùs quàm ſapere oporteat, eximij ſpiritualis vitæ Doctoris Ioannis Climaci ſententiam (39). *Quicumque ad diffidentis animi ſcopulum offenderit, labetur, imò iam lapſus eſt. Vbi te cogitationum turbæ impulerint, vt in Præſidem tuum, ut inquiras, aut eum damnes, ab illis, tanquàm ab ſtupro, reſili. Non ego Præſidis in me iudicium, ſed meum ſe in ſe ſuſcepit: non ego illius, ſed meus ille iudex eſt.*

X. Rebellem facilè domabit ſen-


ſenſum, qui obediendo domuerit rationem. Memor tamen eius effati: (40) *Maius eſt vivere in Caſtitate, quàm pro ea mori*; non ſolo rationis imperio, ſed maximè Mortificationis ſupplicio concupiſcentiam nouerit coercendam. Paupertatis incommoda (41) quærere iubemur, & experiri; ne tanquam delicati milites, in lubrica arena, in qua frequens pugna, rara victoria, turpiſſimè proſternamur. Pauperiem aufugientes, ad voluptatem confugiunt. (41) *Hi ſunt*, ait Abbas Clarauallenſis, *qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis deſit: & ſic diligunt Paupertatem, vt nullam inopiam patiantur*: Aſſueſcamus itaque cum Apoſtolo (42) penuriam pati, vt abundemus: ſatagamus Regularem Legum noſtrarum, Votorumque Obſeruantiam, à falſis argumentis vindicatam, ita nobis conciliare, vt à veris coram Supremo Iudice illa nos vindicet redargutionibus.

I.

1. *Ex Ierem.* 35. 2.
2. *Ex Iac.* 1. 26.
3. *Cap. Gen.* 1671. 1677. 1683. & 1686.
4. *Cap. Gen.* 1692.
5. *Secunda ad Cor.* 11. 14.
6. *Ex D. Thoma* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *cum Comment.*
7. *Thren.* 2. 8.
8. *Secundo Reg.* 11. 1.
9. *Secundo Reg.* 11. 2.
10. *Dan.* 2. 34. & 35.
11. *S. Theres. in Vit. à se descr.*
12. *Ex Cant.* 2. 15.
13. *S. Hieron. epist.* 14. *ad Celant.*
14. *Paulus V. Constit. Ad e.* 16. *Martij* 1617.
15. *Const. par.* 3. *c.* 1. & 8.
16. *Alexand. VII. Const. Dudum.* 24. *Ian.* 1656. & *Const. Cum sicut.* 28. *Apr.* 1660.
17. *Alex. VII. in eisdem Const. vtrobique cum specificis derogatoriis*, & *Greg. XV. Const. Sacri.* 31. *Ian.* 1622. *cum vniversal. derogat.*

18. *Conſt. par. 3. c. 1.*
19. *Conſt. part. 3. c. 8.*
20. *Greg. XV. Conſt. ad vberes.* 15. *Octobr.* 1622.
21. *Clemens IX. Conſt. Ex iniuncto.* 23. *Octobr.* 1669.
22. *Ex varijs Conſt. Innoc. VIII. Martin. V. Eugenij IV. Leon. X. Iul. II. Clement. III. & Cæleſtin. III.*
23. *Intim. Cap. Gen.* 1641.
24. *Alex. VII. Conſt. Cum ſicut.* 28. *Apr.* 1660. & *Clemens IX. Conſt. Ex iniuncto.* 23. *Octobr.* 1669.
25. *Ex Pſalm.* 63. 8.
26. *Ex Pſalm.* 119. 4.
27. *Ordin. Ven. P. noſtri Fundat. dat. Romæ* 10. *Apr.* 1635.
28. *Ex Io.* 6. 15.
29. *Ex Marci* 10. 4.
30. *Ex Proceſs. Auth. Apoſt.*
31. *Ex eiſdem Proceſs.*
32. *Conſt. part. 3. c. 4.*
33. *Conſt. part. 2. c. 2.*
34. *Ibidem.*
35. *Ibidem.*
36. *Ibidem.*

Ibidem.
S. Thom. 2.2. q. 104. art. 3.
S. Io. Climac. gradu 4.
Tertull. exhort. ad Cast.
S. Bernardus serm. 4. de Adu. Dom.
Ad Philippens. 4. 12.



IN-

INDEX CHRONICVS LOCORVM,

A quibus maximè desumuntur NOTÆ

Super Synopsi Constitutionum.

Constitutiones Apostolicæ.

P*Auli V. P. M. Burghesii*, à quo die 14. Ianuarij 1614. Scholæ Piæ, pridem authoritate *Clementis VIII.* à Ven. S. D. Ioseph o Calasantio Aragonensi circa exordia Sæculi XVII. erectæ, & inchoatæ, Congregationi Matris Dei aggregantur. Verùm ab Eodem 6. Martij 1617. confirmantur, & in Congregationem per se instituuntur. Et propterea primò Habitum Regularem, quo vtimur, de manu Cardinalis Benedicti Iustiniani, Secundi Scholarum Piarum apud Sedem Apostolicam Protectoris, Romæ in eius domestico Sacello die 25. Martij, Annunciationi Matris Dei solemni

mni eiusdem Anni 1617. Venerabilis Fundator suscepit: qui eadem die in priuato Scholarum iarum apud Sanctum Pantaleonem de Vrbe Oratorio suos quatuordecim Socios ad Habitum pariter admisit. Annus itaque Religioni nostræ Sæcularis erit à salute reparata MDCCXVII; initium auspicando ab eodem die Dominicæ Incarnationi sacro.

Gregorij XV. P. M. Ludouisij, qui Congregationem Scholarum Piarum Religionem pronunciat die 18. Nouembris 1621. Item Constitutiones Religionis 31. Ianuarij 1622. confirmat. Præterea die 15. Octobris 1622. Nouæ Religioni communicat quæcumque Ordinum omnium Mendicantium Priuilegia.

Vrbani VIII. P. M. Barberini; qui Scholas Pias à Processionibus, alijsque publicis actibus Kalendis Iunij 1629; prout etiam Decretis generalibus Clementis VIII. à

Sanctitate Sua confirmatis, circa Nouitios in certis locis à Sede Apostolica designandis admittendos die 17. Nouembris 1634. eximit.

Innocentij X. P. M. Pamphilij; qui Religionem Scholarum Piarum ad formam Congregationis S. Philippi Nerij relaxat die 17. Martij 1646.

Alexandri VII. P. M. Chisij; qui 24. Ianuarij 1656. Scholas Pias in Congregationem Trium Votorum simplicium cum iuramento perseuerantiæ restituit. Idem regimen Generalis cum Assistentibus ad sexennium decernit 28. Aprilis 1660., & ibidem Constitutiones, & Priuilegia confirmat.

Clementis IX. P. M. Rospiliosi; qui 23. Octobris 1669. Scholas Pias ad pristinum Statum Religionis reuocat; Constitutiones, & Priuilegia pridem à Gregorio XV. impertita confirmando.

Clementis X. P. M. Alterij; qui die 18. Martij 1676. per Sac. Congre-

gregationem super Statu Regularium præscribit, quatenùs Nouitij sint admittendi, & Professoria pro Iunioribus Religionis nostræ gubernanda.

Innocentij XI. P. M. Odescalchi; per quem 13. Martij 1684. Religio Scholarum Piarum ab Ordinariorum Iurisdictione declaratur exempta, & in fruitione Priuilegiorum aliàs indultorum, confirmatur: necnon 3. Septembris 1686. donatur capacitate possidendi ad formam Concilij Tridentini cap. 3. sess. 25. de Regul.

Alexandri VIII. P. M. Otthoboni; cuius motu proprio 21. Februarij 1690. tota Religio vti calceis, & caligis, certa eorum forma in suis literis Apostolicis constituta, iubetur: præterea 23. Ianuarij 1691. indulget Generalibus pro tempore, vt ratione studiorum possint cum Clericis Nouitijs tantùm super altero Probationis Anno dispensare per Decretum S. Cong. Conc.

Innocentij XII. *Pontificis Max.* *Pignatelli*; qui Conſt. *Ad ea, per quæ*. 15. Februarij 1696. exercitium in Religione mentaliter orandi pleriſque Indulgentijs locupletat. Plura eiuſdem Decreta, & literæ Apoſtolicæ paſſim in hac Synopſi citantur.

Ex Apoſtolicâ Summorum Pontificum prædictorum Prouidentiâ deputati ſunt pro tempore Inſtituto noſtro Eminentiſſimi apud Sanctam Sedem Protectores:

Primus à Paulo V. *Ludouicus Card. de Torres*, Romanus, Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia.

Secundus, *Benedictus Card. Iuſtinianus*, Genuenſis, Epiſcopus Portuenſis.

Tertius à Gregorio XV. *Alexander Card. Cæſarinus*, Romanus, Epiſcopus Viterbienſis.

Quartus ab Vrbano VIII. *Martius Card. Ginettus*, Velitranus, Vrbis Vicarius, & mox Epiſcopus Portuenſis: quo Vicariatum geren-

rente cum Scholarum Piarum Protectione, Vrbis Vicarij pro tempore in Religionis noſtræ Protectores inſtituti ſunt ab Alexandro VII. Conſt. *Dudum fæl. rec. Paulus V.* die 24. Ianuarij 1656.

Quintus à Clemente X. *Palutius Card. de Alterijs*, Romanus, pariter Vicarius, deinde Sanctæ R. E. Camerarius.

Sextus, *Gaſpar Card. de Carpineo* Vrbis Vicarius, nunc Epiſcopus etiam Sabinenſis, qui diù fæliciſſime viuat.

CAPITVLA GENERALIA.

Primum Capitulum Generale Religionis Scholarum Piarum Romæ celebratur anno 1627. menſe Octobri, Ven. Seruo Dei Ioſepho à Matre Dei, Fundatore, Primo Generali, E lecto à Gregorio XV. die 28. Aprilis 1622. Conſt. *Apoſtolici muneris*.

Secundum anno 1637. in Vrbe

conuocatur,eodemScholas Pias moderante.

Tertium habetur ibidem anno 1641.Eodem pariter Generalatum gerente.

Quartum anno 1659.menſe Maio, vbi Ioanni à Ieſu Maria Segobienſi ex Caſtella veteri Generali ſecundo piè defuncto(fuerat is per Breue Alexandri VII. ſuffectus Ioſepho à Matre Dei, qui virtutibus, & meritis præclarus obierat Romę 1648. ætatis an.92.) Camillus à S. Hieronymo Vrbinas in tertium Generalem per electionem ſubrogatur.

Quintum anno 1665. in quo per Electorum ſuffragia Camillo à S. Hieronymo poſt abſolutum in Regimine ſexennium, ſuccedit Coſmus à Ieſu Maria Siculus, Generalis quartus.

Regulæ communes in quinto Capitulo Generali 1665. confirmantur.

Ri-

Ritus pariter in eiſdem Generalibus Comitijs approbantur.

Sextum Capitulum Generale 1671. menſe Maio; in quo Coſmo à Ieſu Maria ſufficitur Ioſeph à Viſitatione Romanus, Generalis quintus per Breue Apoſtolicum Clementis X. P. M.

Septimum Congregatur anno 1677. itidem Romæ, à quo in ſucceſſorem Ioſephi - à Viſitatione Electus renunciatur Carolus Ioannes à Ieſu Salentinus, Generalis ſextus.

Octauum Capitulum Generale 1683., in quo per nouam Electionem idem in Generalatu ad aliud ſexennium confirmatur.

Nonum conuenit Romæ anno 1686; & Carolo Ioanni à Ieſu vita functo, ſubſtituitur ab Electoribus Alexius à Conceptione Anconitanus, Generalis ſeptimus.

Canones Pænales in eodem nono Capitulo Generali ritè decernuntur.

Decimum Capitulum Generale anni 1692. loco Alexij à Conceptione, per suffragia in Generalem Octauum assumit Ioannem Franciscum à S. Petro Mutinensem.


Fuerunt autem Præsides in Capitulis Generalibus hactenus celebratis, *Primo*, *Ven. Fundator, Generalis*. *Secundo*, nonnulli Romanæ Curiæ Præsules à Sede Apostolica designati; inter quos *Iulius Rospiliosus*, qui postea *Clemens* IX. *P. M.* Optimus Religionis Instaurator. *Tertio*, *Alexander Cæsarinus S. R. E. Cardinalis Protector*. *Quarto*, *&* *Quinto*, *Martius Card. Ginettus*. Vrbis Vicarius, pariter *Protector*. *Sexto* *Camillus de Maximis S. R. E. Card.* pro Eminentissimo *Palutio Alterio*, Clementis X. nepote, Vrbis Vicario *Protectore*. *Septimo*, *Octauo*, *Nono*, *&* *Decimo*, *Gaspar S. R. E. Card. Carpineus*, Vrbis Vicarius, & *Protector* Beneficentissimus.

* Notat Interpretationes, Declarationes, Definitiones, & Mo-

dera-

rationes Generalis cum Aſſiſten-
bus de authoritate ſexti, ſeptimi,
ctaui, noni, & decimi Capituli
eneralis,pro temporum, & re-
m opportunitate, ſparſim in Sy-
pſi Conſtitutionum appoſitas;
m Conſuetudines Religionis, &
æcipuas quaſdam Præpoſitorum
eneralium Ordinationes.

Decreta verò Capitulorum Ge-
ralium, quæ huic Synopſi non
ſeruntur, abrogata intelligantur.



GREGORIVS
PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam
Conſtitutiones Confirmat.

Conſueuit Sedes Apoſtolica naſcentes Regularium Cœtus legibus inuiolabiliter obſeruandis pro feliciori eorum regimine fulcire.

Conſtitutiones, in vnum collectas à Generali Scholarum Piarum cum Socijs, Gregorius XV. admittit confirmandas.

Eundem cum Socijs, ad effectum eiuſmodi Confirmationis tantùm conſequendæ, à quibuſcumque Cenſuris, & pœnis abſoluit.

Aſſerit haſce Conſtitutiones à S. Congregatione rebus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita examinatas, & probatas.

Eiſdem perpetuum Apoſtolicæ Authoritatis robur, quoſcumque

iuris

uris, & facti defectus supplendo; dijcit.

Accedit Decretum Summi Pontificis pronunciantis omnes,& singulos in perpetuum Scholis Pijs Assertos harum Constitutionum obseruantiâ respectiuè teneri; & posse ad eam Censuris Ecclesiasticis compelli.

Cauet, ne quicumque Iudex Ordinarius, aut Delegatus, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditor, aliter ab eiusmodi Statutis definiat; irritum quidquid in contrarium attentetur, decernendo die 31. Ianuarij 1622.

Earum autem Constitutionum condendarum facultatem indulserat V.Ser.Dei Iosepho à Matre Dei Fundatori cum Socijs Paulus V. P. M. die 6. Martij anno 1617. Const. *Ad ea per quæ.* cum in Simplicem Congregationem per se Scholas Pias erigeret; quemadmodum post elapsum quadriennium idem Gregorius XV. Const. *In su-*

premo Apostolatus solio. 18. Nouembris 1621. Easdem ad solemnem Religionis Statum assumpsit.

Alexander VII. *P. M.* Const. *Dudum fel. rec. Paulus P. V.* die 24. Ianuarij 1656. præsentes pariter Constitutiones in ijs, quæ simplici Congregationi aptantur, præcipit obseruandas. Idemque repetit Const. *Cum sicut.* 28. Aprilis 1660.

Item Clemens IX. in Const. reintegrationis ad Statum Religionis, incip. *Ex iniuncto nobis* 23. Octobris 1669. denuo Constitutiones munit Apostolica firmitate: Quod pluries à Summis Pontificibus factum.

SYNOPSIS CONSTITVTIONVM

PARS PRIMA.

PROOEMIVM.

1. Finis Inſtituti Scholarum Piarum Charitatis perfectio eſt.

2. Circa piam, & literariam puerorum diſciplinam, ad Reipublicæ reformationem, verſatur.

3. Adoleſcentes, à teneris annis pietate cum literis imbuti, felicem totius vitæ curſum auſpicantur.

4. Nullum Inſtitutum legibus deſtitutum ſubſiſtit.

5. Pueri pauperes nuſquam deſpiciendi; ſed multa charitate ad virtutes adducendi.

6. Eſt Inſtituti noſtri à primis elementis modum rectè legendi, ſcribendi, numerandi, latinè loquendi, cum fidei, & pietatis rudimentis in primis tradere.

7. Miniſtros Charitate, Patientia, & virtutibus omnibus refertos requirit.

8. Summus habeatur Admittendorum delectus, & maximè ſedula ſit

Ad-

Admissorum institutio, ne Institutum labefactetur.

NOTÆ.

Ad 1. Intuita Sede Apostolica quanti sit, vt Christifideles pijs moribus, & doctrina imbuantur; Scholæ Piæ Clementis VIII. P.M. authoritate eriguntur: & à Paulo V. Successore confirmantur. Greg. XV. Const. In Supremo Apostolatus. 18. *Nouembris* 1621.

a *In singularem amoris tesseram Paulus V. P. M. Const.* Ad ea, per quæ. 6. *Martij* 1617. *à suo nomine titulum Instituti sanxit, Congregationis Paulinæ Pauperum Matris* Dei *Scholarum Piarum; vbi Habitum Regularem, & rationem in ea viuendi definit; & Congregationis ita fundatæ Præfecturam, Regimen, & Administrationem Iosepho Calasantio Fundatori committit; vocatque ibidem Scholas Pias,* maximè laudabile opus pauperes erudiendi, & instituendi; gratis autem, & nullo stipendio, aut honorario ad pueros in primis elementis, Grammatica, & Computo, maximè verò in Fidei Catholicæ rudimentis, bonis, & pijs moribus, operam, laborem, ac studium conferre teneantur.

b. *Postmodum Gregorius XV. addi-*

ctiores

ctiores Scholarum Piarum Assertores Pio Instituto effecturus, Paulinam *Congregationem, Religionem trium Votorum solemnium pronunciat die* 18. *Nouembris* 1621.*Const*.In Supremo Apostolatus. *Cuius etiam Iosephum à Matre Dei, qui cum quatuor sibi Assistentibus Corpus Religionis repræsentet, in primum Generalem ad nouennium decernit. Const*. Apostolici muneris. *die* 28. *Apr*. 1622.

c. *Præterea, dum nouæ Religioni quæcumque omnium Ordinum Mendicantium* Priuilegia *idem communicat die* 15.*Octobris* 1622. *motiuum tantæ largitatis, & Apostolicæ Beneficentiæ innuens, inquit*: Ad vberes fructus, quos dilecti filij, Minister Generalis, & Clerici Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum in militanti Ecclesia in dies afferunt, mentis nostræ aciem conuertentes; ac vberiores ex ipsa Congregatione fructus in dies peruenturos esse sperantes, ad ea meritò libenter intendimus, per quæ Congregatio ipsa felicioribus in dies proficiat incrementis.*Const. pracit*. Ad vberes.

d. *Nec minori Charitate Vrbanus VIII. recens Institutum complexus, inquit, Const*. Debitum Pastoralis officij.*Kal.Iunij* 1629. *eapropter à se Re-*

ligionem Processionibus, *& alijs actibus publicis eximi, ne studio piæ vitæ, & puerorum institutioni sedulò vacantes Religiosi nostri distrahantur.*

e. *Alexander VII. redactam ab Innocentio X.* P. *M. Const.* Ea, quæ pro fælici. *die 16. Martij 1646. Religionem in Congregationem absque vlla Votorum emissione restaurans; ad* Statum, *scilicet, nouæ Congregationis cum emissione Votorum Simplicium erigens Const.* Dudum. 24. *Ianuarij 1656. inquit:* Nos considerantes, experientiâ rerum magistrâ, liquidò constare, quàm vtile sit Reipublicæ Christianæ Institutum Scholarum Piarum; quarum opera, & sedulitate pueri corruptæ naturæ vitio, alioquin ad malum procliues, non solùm in primis elementis, Grammatica, & Computo instruuntur; sed etiam, quod longè conducibiliùs est, Fidei Catholicæ rudimentis, ac moribus, & virtutibus Christianis imbuuntur, boni publici plurimùm interesse censemus, eosdem Clericos in laudabili, & fructuoso eorum Instituto perseuerare.

f. *Tandem Clemens IX.* P. *M. anno 1669. Const.* Ex iniuncto Nobis: *Instituitus Congregationem pueris, non solùm literarum rudimentis, sed etiam pietate, moribusque Christianis maturè imbuen-*

buendis laudabiliter incumbentem, peculiari fauore prosequens, eam ad Statum Religionis; & ad fruitionem Priuilegiorum *Ordinibus Mendicantibus concessorum restituit.*

Ad 8. *Regularis obseruantia Nouitiorum Institutioni, & educationi præcipuè innititur. Clem. X. 18. Martij 1676. in Decretis super Nouitijs Religionis nostræ admittendis.*

De Impedimentis Admittendorum.

CAPVT I.

9. Desperanda prorsùs Religionis nostræ emolumenta, nisi dexterè, prudenterque examinentur, & probentur Admittendi.

10. Admitti omninò prohibentur maioribus impedimentis affecti, vt Apostatæ à Fide; vehementer suspecti de rebus Fidei; aliam Religionem Professi; homicidæ non dispensati; criminosi de iure inhabiles ad Ordines; vxorati; sponsi; legitima seruitute deuincti.

11. Hi minùs idonei, qui magis detenti minoribus impedimentis; vt

qui

qui fuerint alterius Instituti Nouitij minùs, quàm per annum; ære alieno grauati; vel ciuilibus obligationibus adstricti, iuxta Sixti V. Const; ætate valdè teneri, iuxta Trid; aliquo defectu in corporis integritate; virium debilitate; notabili deformitate laborantes; Illegitimi ad Ordines dispensati.

12. Maioribus obnoxij, statim placidè dimittantur.

13. Super Minoribus, dummodò insigni eruditione, industriâ, vel virtute aliquâ polleat Candidatus, concessum Prouincialibus dispensare.

14. In Admittendis requiritur loquendi gratia; vt sit in docendo facilitas.

NOTÆ.

Ad 9. Deputantur in singulis Italiæ Prouincijs Domus Probationis *à Sacra Congregatione super* Statu *Regularium de mandato Clementis X. 18. Martij 1676.*

2. *Definitus in eisdem intra Italiam, comprehensa Sicilia, certus Nouitiorum numerus; quibus admissis, iterùm Sedi Apostolicæ supplicandum pro aliorum admittendorum facultate.* Decr. Clem. X. *Vide ad 32.*

b. *Rectores Domorum cum antiquiore Sacerdote (Nouitiatuum cum Nouitiorum Magistro ; Iunioratuum cum Iuniorum* Præfecto) *antequam quis ad Habitum proponatur , eius voluntatem, & mentem explorent : quæ si recta deprehendatur , zeloque perfectioris vitæ in pia , & literaria puerorum eruditione duci comperiatur , Superioribus præsentetur.* Id. ibid.

c. *Habeant autem Candidati secum Baptismatis, Confirmationis , Morum , Studiorum (Ordinum etiam , si Clerici) & Status liberi,necnon quòd non sint inquisiti, testimonia ; &* Parentum , *seù* Propinquorum , *aut Curatorum consensum , quatenùs necessarius prudenter iudicetur.**

d. *Examinatores Admittendorum pro Romana* Prouincia, *Generalis , Assistentes ,* Prouincialis , & Procurator *Generalis ; pro alijs verò sui Prouinciales, Consultores , & Rector Domus constituuntur .* Id. ibid.

e. *Prouinciales iussi à Cap. Gen. 1637. decernere initio sui regiminis Examinatores Confessariorum , Ordinandorum, Studentium, Neomagistrorum, Lectorum, Concionatorum, & Librorum typis edendorum, cum pro typis accesserit Præpositi Generalis consensus, prædictis Examinatoribus vtantur, cum facultate*

alios

*alios etiam, si opus fuerit, prater illos, assumendi.** Cap. Gen. 1659.

Si detur paritas votorum in examine, à Generali, vel Prouinciali *cum suis Examinatoribus habendo, decisio ad Generalem respectiuè, seu* Prouincialem *spectabit. Siquando præterea Examinatores extraordinarij assumantur, voto tantùm consultiuo gaudebunt; decisiuo tamen, si Ordinarijs legitimè impeditis, & aliis decisiuo fruentibus, ad eorum numerum complendum; non verò, si supra impeditorum numerum subrogentur.* Vide ad 347. c. *Suffragia verò quacumque decisiua in quibusuis actibus siuè ad negotia, siue ad regimen, siue ad electiones, vel ad quamlibet aliam rem pertinentibus, semper, & vbique secretò exhibeantur.**

f. *Petentes admitti pro Clericis, examinandi super literatura, quæ saltem, non sit minor literis humanioribus; tantamque Scientiarum addiscendarum præseferant indolem, vt eas alijs docendis idonei futuri sperentur.* Decr. Clement. X.

g. *Super ætate: quæ in Clericis annorum quindecim absolutorum; in Laicis autem viginti pariter completorum requiritur.* Id. ibid.

h. *Super honestate Natalium: vita antegestæ moribus: corporis habitudine:*

ali-

alÿsque necessariò requisitis. Ibid.

i. *Sint etiam noti saltem per* Præ*ceptorum, sodalium, & amicorum relationes*. Id. ibid.

k. *In examine prælegantur Admittendis impedimenta hic recensita: & moneantur de iuramento super eisdem præstando ante Habitus susceptionem*. Ibid.

l. *Cautum Examinatoribus, nequem admitti patiantur, qui maximè idoneus Instituto non reputetur: & meminisse debent, ineptam turbam Scholis* Pÿs *profitendis imparem esse*. Reg. Exam. num. 1.

Ad 10. *Maioribus impedimentis affecti declarantur Acatholicis* Parentibus*, aut Sectis progeniti; quatenùs Generalis Dispensatio non accedat.**

Ad 11. *Inter innodatos maioribus impedimentis asseruntur etiam Illegitimi, Eremitæ, necnon ad aliam Religionem, (Militaribus, & Equestribus Ordinibus exceptis, qui viuere claustraliter non consueuerunt* * *) quoquomodo admissi, sub pœna priuationis Officiorum Prouincialibus, si secùs attentent*. Cap. Gen. 1692.

a. *Porrò cum Illegitimis aliqua spectabili prerogatiua insignibus, Generalis tantùm cum sibi Assistentibus dispensare permittitur, iuxta idem* Cap. Gen. 1692.

b.

b. *Sedula pariter habenda ratio est in Admitttendis adultis, & anno ætatis vigesimo maioribus : quia experientia compertum, Instituto nostro difficiliùs assuescere.**

c. *Item cauendum ab admittendis denuò his, qui aliàs à Nouitiatu , vel abierint , vel fuerint expulsi; nisi vehemens accedat ratio .**

d. *Seruentur prætereà* Sixti*V.Const.* 71. Cum de omnibus ., & *Clementis VIII.Decreta circa Recipiendorum conditiones.* Cap. Gen.1641.

Ad 13.*Nemo ad Habitum Religionis à Prouincialibus admittatur sine decisiuo Assistentium suorum , & Rectoris Domus suffragio.**Cap.Gen.1637.

a. *Compertis in examine idoneis,& ad iurandum, se nullo impedimentorum irretitos esse , paratis , detur testimoniũ in scriptis abExaminatoribus iuramento testantibus, admitti petentes, habiles ad Institutum nostrum inuentos .* Decr.Clem.X.

b. *In admittendis Nouitijs, sub interminatione diuini iudicij, necnon priuationis Vocis actiuę, ac passiuæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem imposterùm obtinenda, Superioribus præcipitur, Decreta Clementis VIII. ad vnguem seruari ab Innocentio XII.*24.Iulij 1694. *Quæ* qui-

quidem Decreta incipiunt : Regularis. Sanctissimus. Nullus.

Ad 14. *Quòd balbi, blesi, linguaque præcipites, vel tardiores loquendi careant gratia, excluduntur, sicut etiam visu notabiliter laborantes.**

a. *Quatenùs, quod rarò contingat, ex Operariorum defectu, Tertiarius aliquis admittatur, oporteat; eadem respectiuè impedimenta considerentur.** *Nullus tamen sine Generalis facultate vsquam admittendus : neque sit minor vigesimo primo ætatis anno absoluto*. Cap. Gen. 1637.

b. *Tertiariorum Habitus breuis esto vsque ad crura, semipalmo, scilicet, infra poplitem porrectus, ex panno consueto nigri coloris*. Cap. Gen. 1641 *Regulis, & laboribus Operariorum assuescant.**

De Admissione Nouitiorum ad Probationem.

CAPVT II.

15. Ad explorandas animi propensiones, diuturnum de petentibus admitti fiat periculum.

16. Admittendi valdè noti sint oportet ex Præceptorum, sodalium, ami-

amicorum, & familiarium relationibus.

17. Admittendi per examen approbati, tanquam hospites, per aliquot dies in domo Probationis collocentur; vt illi vicissim Institutum, illos Institutum probet.

18. Hospitij tempore informentur Candidati de modo in Religione agendi.

19. Hospites, ad Habitum admittendi, cum illis tantùm verbo, & scripto agant, qui fuerint à Superiore designati.

20. Secum interea, & cum Deo liberiùs Vocationem perpendere doceantur.

21. Si multifariam exercitati perseuerent, repetitis Vocalium Domus Orationibus, ad Habitum admittantur.

22. Descriptis in libro ad id instructo, rebus, & indumentis à Sæculo allatis, in Vestiario verò vsque ad Professionem custodiendis, vel eorum vsui concedendis, manu sua subscribant.

23. Ad Habitum Religionis admissi, Nouitiorum Magistro instituendi continuò tradantur.

24. In Nouitiorum Magistros eligantur, qui suis Tyronibus prudentiâ,

eru-

eruditione, experientia, & exemplaritate, promouendis ad virtutis fastigium sint accommodi.

25. Nouitiorum Institutor sit Communitatis tenacissimus; Sacros Ritus calleat; perfectionem verbo doceat; factis exprimat.

26. In Ædibus Nouitiatus, ab aliorum consortio separatis, tàm Clerici, quàm Operarij biennio probentur.

27. Statim Nouitijs per mensem, & ampliùs, arbitrio Magistri, Spiritualia Exercitia tradantur: & generaliter confiteantur.

28. Strenuè Nouitij probentur in Deuotionis, Orationis, Sacrę Lectionis, Meditationis, Mortificationis, Humilitatis, præsertim Silentij, & Modestiæ, Abnegationis voluntatum, & iudiciorum, in Sui contemptus; & alacris Tolerantiæ praxi.

29. Erit Nouitiorum Institutoris internas eorum propensiones sedulò scrutari; eosque ad perfectionem iuxtà Spiritus Sancti ductum dirigere.

30. Singulis Tyronibus singula cubicula, in quibus nihil curiosum, nihil singulare, aut superfluum.

31. Quarto quoque mense per Commissarium, à Generali, seù eius nomine à Prouinciali deputandum, visitentur.

32. Siquis Nouitiorum ex Magiſtri, & Sacerdotum Domus Probationis relatione contumax, inhabilis, aut ſcandaloſus in ea Viſitatione compertus fuerit, dimittatur.

33. Magiſter frequentiùs Nouitios de tentationibus, quibus magis infeſtantur, ſuauiter interroget, antidota præſcribendo.

34. Sit peruigil in Nouitios, minùs fideliter intima cordis aperientes; qui vt plurimùm decipiuntur.

35. Quiſquis primo Probationis anno ſatis in mortificationis, & maximè Orationis ſtudio profecerit, poteſt à Prouinciali circa literarum ſtudia, Probationis biennium continuando, diſpenſari.

NOTÆ.

Ad 15. & 16. Nouitij nuſquam admittantur, niſi ad formam Decretorum Clementis X. *P. M. pro Nouitijs in Religione noſtra recipiendis* 18. *Martij* 1676. Vide Notas ad 9. a.

a. *Per aliquot ſaltem menſes, Petens admitti teneatur in ſuſpenſo, vt maturiùs, quò eius Vocatio feratur, poſſit cognoſci: tradatur interea dirigendus Patri alicui ſpirituali; qui ſuauiter illum ad Sacramentalem conſcientiæ expia-*

*piationem , Sacram Synaxim , Orationem , & eiusmodi frequentandum adhortetur.**

Ad 17. Admittendus præsentet Rectori Domus Probationis *testimonium Examinatorum ; & præmissa* Patrum *ibi Vocem habentium Oratione ,si adhuc diuino ductus spiritu iudicabitur , perlectis iterum eidem præfatis impedimẽtis , præstito actuali Iuramento, quod nullo eorum se teneri cognoscat (quod quidem Iuramentum in libro solito connotandum) admittatur velut hospes per aliquot dies,Superioris arbitrio , non minus tamen, quàm decem; vt ipse Admittendus certior reddatur de forma Instituti; &* Patres *eum plenius cognoscant.* Dec. Clem. X.

Ad 18. Admissus, tanquam hospes ; doceatur , quomodò se gerere debeat . Ibid.

2. *Præter Admittendos ad Habitum, nullus vllibi hospitio excipiatur in Domibus* Probationis . Cap. Gen. 1637. *Quod etiam prætextu Exercitiorum Spiritualium ad conuiuendum cum Nouitiis interdictum .* Cap.Gen. 1692.

Ad 19 Nouitius hospes,neq; verbo,neq; scripto,nisi de licentiaSuperioris,cumExternis, aut Domesticis agat,præterquàm cum his,qui à MagistroNouitiorum designati fuerint;vt liberius secum,& cũ Do-

mino perpendat Vocationen suam. Cap. Gen.1641. & Decr.Clem X.

Ad 21. Si Nouitius, tempore hospitii variis probationibus exercitatus, firmiter perseuerauerit, præmissa iterum communi Oratione, ad Habitum admitti poterit. Id. ibid.

a. *Sit Nouitiorum Institutoris Admittendos ad Habitum præmonere, vt recordentur, Confessis, & Sacro Conuiuio refectis, Religionem ingredientibus Plenariam Indulgentiam concessam à Paul. V. 23. Maii 1606.*

b. *In Admittendis ad Habitum, & Professionem, atque in Renouatione Votorum Ritus consuetus obseruetur.* Rit. cap. 1.

Ad 22. Neque pro ingressu, neque, post susceptum Habitum, pro admissione ad Professionem, neque alio quocumque prætextu, excepto victu, & vestitu pro tempore, quo quis in Probatione est, a Nouitiis, vel eorum Parentibus, Propinquis, aut Curatoribus aliquid accipiatur, sub pœnis per Sacros Canones, & Concil. Trid. statutis. Decr. Clement. X.

Ad 23. Eò maximè Nouitiorum Institutio collimet, vt veram Status Religiosi normam, & Vocationis pretium concipiant; & in primis de Votis, & Obseruantia, quam profitentur, vbertim informentur. *

a.

2. *Præter opportunam ſpiritualem Inſtitutionem, Operarii tempore Probationis alacriter artibus quibuſcumque neceſſariis exerceantur, præſertim ſutoria, ſartoria, & culinæ miniſterio.* * Cap. Gen. 1683.

Ad 24. *Ipſe Magiſter Nouitiorum Sacerdotali Ordine ſit initiatus; ac in quinto ſaltem ſupra trigeſimum ætatis ſuæ anno conſtitutus; & per decennium à Profeſſione emiſſa in Religione perſiteris. Socius verò trigeſimum annum excedat; ſintque ambo doctrina, vitę anteactæ exemplo præſtantes; Orationis præterea, & mortificationis operibus addicti; Prudentia, Charitateque referti, non ſine affabilitate graues, zelum Dei cum manſuetudine præſeferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præſertim, & indignationis, quæ in ſe, & erga alios Charitatem impedire conſueuerunt, quàm longiſſimè alieni: tales demùm, qui in omnibus ſe ipſos bonorum operum exemplum præbeant; vt ij, qui eorum curæ ſubſunt, illos non tàm metuant, quàm reuereantur.* Clem. VIII. Decr. de Nouit. recip. die 19. Maij 1602.

Ad 26. *Pro ſuſtentando Nouitiatu ſingulæ Prouinciarum Domus, ad Generalis præſcriptum, contribuant.* Cap. Gen. 1637.

a. *Rectores, Magistri,* Promagistri, *& Familiæ Nouitiatuum, & Iunioratuum ab ipso Generali, consultis ei Assistentibus,* Prouinciali, *&* Procuratore *Generali, constituantur, vel amoueantur.* Decr. Clem. X.

b. *Quòd siquando* Prouinciales *delegatam habeant à Generali Iurisdictionem super primis, & secundis Nouitiatibus, in collocandis ibidem, & amouendis Personis de Familia, pariter Assistentium suorum, & Rectoris Domus consilium adhibeant.* *

c. Porrò *sint Religiosi graues, deuoti, exemplares, obseruantiæ regularis, & vitæ communis tenaces: secùs in Domibus* Probationum *non ferantur.* Idem. Vide ad 39. b.

d. *Tàm Clerici, quàm Operarij biennio probentur.* Decr. Clem. X. Vide ad 332.

Ad 27. Admissis ad Habitum per decem saltem dies tradanturExercitiaSpiritualia. Rit. c. 4. *per horas quatuor Meditationis quotidianæ.* *

Ad 28. Experimenta Nouitiorum faciat Magister cum Prudentia, & sancta Charitate. Reg. Mag. Nouit. n. 4.

a. *Insuper, si penès Tyrocinium Scholæ doceantur, quotidie in earum Instituto Clerici bini, saltem per semihoram exerceantur in* Legentium, *aut Rudimen-*

dimentiſtarum claſſibus ad ſui Magiſtri nutum , & Præceptorum directionem ; prius tamen informentur de docendi modo , & Pietate *cum literis immiſcenda;vt ită Nouitiorum capacitas ad Inſtitutum, quod ſolemniter profiteri intendunt , perſpicua fiat .**

b. *Tempore* Probationis *Nouitii propterea doceantur modum docendi Chriſtianam-Doctrinam, formandi characteres , & computa faciendi*. Reg. Mag. Nouit. n.6.

Ad 29. *Magiſtri Nouitiorum eſt, ſæpè Nouitios ſuauiter interrogare , an in via Domini ſibi quidquam aduerſetur;& quæ ſit rerum ſuarum,& Vocationis ratio; vt magis illos iuuare valeat,& perſpectos habere*. Ibid.n.5.Vide in Notis ad 374. a.

Ad 31. *Commiſſarij ad quadrimeſtres Nouitiorum Viſitationes ordinati ſecum habeant Secretarium ſaltem,virum grauem : & Magiſtri, & Promagiſtri Nouitiorum relationem iuratam ſuſcipiant .** Cap.Gen.1641.

a. *Pro quadrimeſtri Nouitiorum Viſitatione Vocales eius Familiæ ſeorſim ſuper ijſdem interrogentur ; & eorum reſponſa ſummatim reſcribantur .** Cap. Gen. 1686.

b. *Ritus inſtituendæ Viſitationis quadrimeſtris eſto . Vbi Viſitator Com-*

missarius Domum Probationis aduenerit, Patres in Oratorium conuocatos perpaucis de necessitate huiusmodi Visitationis alloquatur, adhortando, ne graues Tyronum errores humanis respectibus ducti, subiicendo, Religionem prodant.

c. *Inde Secretario, & Rectore comitantibus, ædes Nouitiorum adeat; videatque, an ritè sint separatæ ab Antiquorum mansionibus: porrò quidquid opportuno remedio dignum compertum fuerit, statim à Secretario connotetur.*

d. *In visitandis Nouitiorum cubiculis videat, an aliquid indecens, curiosum, vanitati proximum, Paupertati contrarium, aut singulare ibidem habeatur.*

e. *A Singulis Nouitijs Regulas, libros pro lectione spirituali, notata spiritualia, & libellum precum nostrarum videnda requirat.*

f. *Ab eisdem circa studia dispensatis ea, quæ studiorum sunt, petat: Magistrum verò, quomodo pietate, ac literis proficiant, examinet.* *

g. *Lustrabit, quæ sit cubiculi munditiès; an aqua lustralis, an catenula, an disciplina ibidem sit, & eiusmodi, ex quibus consueuit adolescentium propensio, & indoles ad religiosam educationem cognosci.*

h:

h. *Quibus attentè perſpectis, in ædes ad hoc præparatas ſeſe recipiens cum Secretario, ſeorſim Rectorem, & ſingulos Vocales interroget.*

i. *Circa regularem Nouitiorum Inſtitutionem.*

k. *Circa eorum Exercitia Spiritualia, literaria, & manualia.*

l. *Circa indigentias temporales, & modum, quo tractantur, præſertim infirmi.*

m. *Circa vagationes, & familiaritates.*

n. *Circa diurnam Regularum explicationem, & ſacras lectiones.*

o. *Circa cuſtodiam cum ipſis adhibendam.*

p. *Circa ſpiritualem profectum; præſertim in mentaliter, & vocaliter orando.*

q. *Circa fidelitatem in reddenda conſcientiæ ratione.*

r. *Circa reuelandos Sodalium defectus, & tentationes, ſi quas norint.*

ſ. *Circa ſolitam Sacramentorum frequentiam.*

t. *Circa indolem religioſæ diſciplinæ, & ſtudiorum capacem, vel incapacem.*

u. *Circa mores cuiuſque.*

x. *Circa valetudinis conſtitutionem.*

y. *Circa mortificationem in proprijs*

 volun-

voluntatibus, iudicijs maximè frangendis, alijsque mortificationibus humiliter tolerandis.

z. *Circa Magistri, & Promagistri concordiam, & exemplaritatem, & eiusmodi.*

aa. *Post Domus Vocales auditos, & eorum relationes in Actis regestas, paternè quoque singulos Tyrones interroget.*

bb. *Super corporis valetudine.*

cc. *Super constantia in Vocatione.*

dd. *Super conscientiæ ratione, per capita.* Ad Const. 374.

ee. *Super Connouitiorum loquendi, & agendi modo.*

ff. *Super inspirationibus à Deo immissis, & super tentationibus.*

gg. *Super confidentia cum Institutore.*

hh. *Super Nouitiatus disciplina, & eiusmodi.*

ii. *Quòd si ex depositionibus aliquid corrigendum emergat, vocando seorsim notatos, exequatur; vel publicè, si necesse fuerit; cautos maximè faciendo Rectorem, Magistrum, & Promagistrum; ne qui Nouitios dictis instruunt, factis destruant.*

ll. *Siquem verò ex Nouitijs propter pertinacem in Vocatione inconstantiam; incorrigibilitatem grauiorum de-*

fectu-

fectuum; incapacitatem in Instituti ratione; vel etiam propter infirmitatem, quæ nequeat facilè reparari, dimittendum deprehenderit, nisi circumscriptam ad hoc habeat à Delegante facultatem, committat Rectori, Magistro, & Socio dimissionem placidè semper, & religiosè faciendam.

mm. *Propterea in libello Visitationum quadrimestrium; in quo eorum Acta toties quoties compendio referantur; & à Commissario Visitatore, & Secretario subscribantur, non solùm Dimissionis, si ea sibi facultas delegata fuerit, vt præfertur, Decretum; sed alia quæcumque monita pro meliori Nouitiorum Institutione, atque Gubernio describat.*

nn. *Tandem cum breui concione Capitulum culparum pro solis Nouitiis instituat; & Visitationi finem imponat.*

oo. *Quòd Nouitij penes vnum Institutorem suum ex præscripto Clementis VIII. cap.* Cum ad regularem *debeant confiteri; post quadrimestrem Visitationem illis concedatur, si expedire videbitur, ad conscentiarum tranquillitatem Confessarius extraordinarius, vir prudens, & spiritualis: quod etiam occasione Exercitiorum Spiritualium infra annum ante Natiuitatem, & Resurrectionem Domini faciendorum, & emittendæ Professionis indulgeri poterit.* *

Ad 32 Si quis ex Clericis, aut Laicis Nouitijs à Vocatione resiliat abeundo, vel contingat expelli, alius profecti, vel dimissi loco, tanquam ille non fuisset admissus, poterit subrogari. Decr. Clem. X. Vide ad 9. a.

Ad 33. Ea, de quibus in animis Nouitiorum sæpè tenetur quærere Magister, sunt: an aliquid eos à via Domini remoretur? quomodo se habeant in Vocatione? quibus præsertim tentationibus vexentur? vt eos paternè confortet. Ex Reg. Mag Nouit. n. 5.

Ad 35. Nouitii secundi anni Probationis circa studia dispensati, nullatenùs ab eiusdem Nouitiorum Institutoris disciplina eximuntur. Cap. Gen. 1637.

a. *Super dispensatione secundi anni Probationis*. Vide ad 332.

b. *Domus Probationis in Vrbe subest immediatè Generali*. Cap. Gen. 1637. *Item aliæ Romanæ; in quibus nullam Iurisdictionem Prouincialis eiusdem Prouinciæ potest exercere*. Sac. Cong. Visit. Apost. 4. Maij 1662. *Quod etiam de quibusque Domibus primi, & secundi Nouitiatus definitum* à S. M. Clem. X. 18. Martij 1676. & à Sac. Cong. Episcoporum, & Regularium 31. Iulij 1682.

De Admissione Nouitiorum ad Vota emittenda.

CAPVT III.

36. Nouitius antequàm profiteatur, generalem totius vitæ, vel saltem à persoluto Probationis biennio Confessionem habeat.

37. De bonis, quæ in Sæculo habuerit, liberè, & cum æquitate iuxtà Triden. dispositurus admoneatur, ne quid sibi, aut Religioni relinquat.

38. Imminente Probationis termino, à Magistro Nouitiorum certior fiat Prouincialis, de cuius facultate ad Professionem admitti possit de voto Professorum eius Domûs.

39. Antequàm Vota quis emittat, seriò requiratur, an contentus futurus sit in Religione nullis vti prærogatiuis; nec minimum omnium velle anteire; sed ad viuendum toto vitæ suæ tempore in eo loco, & Gradu, in quo ad Dei gloriam à Superiore constituetur?

40. Vota, quibus Deo mancipamur, sunt Paupertas, Castitas, Obedientia, Pia, & literaria puerorum disciplina, & Humilitas, abdicando

se

ſe quocumque directo, vel indirecto Ambitu, cum onere ſolemni Ambientes quoque Religioni, ſeù Generali Præpoſito reuelandi.

41. Præmiſſis Spiritualibus Exercitijs, omnes generaliter ab vltimâ generali confeſſi, & Sacrâ Synaxi refecti Vota renouare in Paſchatis, & omnium Sanctorum feſtiuitatibus tenentur.

NOTÆ.

Ad 36. Exercitia Spiritualia decem ad minus dierum Profeſſioni emittendæ à Nouitiis præmittantur. Reg. de Admitt. n.5. & Rit. c.4. *prout ab Admiſſis.* Vide Not. ad 27.

Ad 37. Nouitii ad Profeſſionem admittendi moneantur vtique, ne quidquam ſibi relinquant; quatenùs verò Religioni, ſit penès liberum eorum arbitrium. Cap. Gen. 1659. *Præſertim ex quo donati ſumus capacitate poſſidendi ab Innocentio XI. 3. Sept. 1686.*

a. *Menſe circiter ante Profeſſionem Nouitii diſponant de Bonis, quæ in ſæculo habuerint.* Reg. de Admitt. n.8.

b. *Tempore Probationis feliciter peracto, Nouitius Vota emiſſurus, admoneatur, vt de Bonis, quæ in ſæculo habuerit, pro libito ad formam* Tridentini de Regul. ſeſs. 25. c. 16. *Teſtamen-*

to, vel Renunciatione disponat; nec sibi quidquam relinquat, sub exacta vita communi semper victurus. Decr. Clement.X.

c. *Census annui personales, vulgò* Liuelli, *vel omninò tollantur, vel eorum fructus illi Domui pro tempore affixi declarantur, ad quam quis ex Obedientia fuerit ordinatus, quocumque priuato vsu, & iure super illis interdicto*. Ex Cap. Gen. 1677.

Ad 38. *Labente alicuius Nouitii Probationis tempore, Magister certiorem faciat Prouincialem, de cuius facultate, atque de voto, & consensu maioris partis Professorum omnium Vocem ibidem habentium ad Vota solemnia valeat admitti*. Decr. Clem.X.

Ad 39. *Antequàm quis admittatur ad Professionem, sedulò informetur per Magistrum de Votorum emittendorum grauitate; Rector autem Domus Probationis voluntatem, & intentionem ita exploret, vt certior fiat de constanti Nouitii perseuerantia, & libertate in profitendo*. *

a. *Item instruatur de Indulgentia Plenaria per Paulum V. die* 23. *Maii* 1606. *concessa Nouitiis, qui sacramentaliter confessi, & Cælesti Mensa refecti, peracto Probationis tempore, Professionem emittunt*. *

b. *Quatuor saltem, qui Vocem habeant in Domibus Nouitiorum pro scrutiniis ritè faciendis, collocentur.* Cap. Gen. 1665. *Familiæ verò Domorum Probationis constituantur omninò ex viris probatæ virtutis ad Nouitiorum ædificationem.* Cap. Gen. 1637. Vide ad 26. a. b.

Ad 40. *Forma Professionis pro Clericis in* Cap. Gen. 1659. *statuta; & in* Cap. Gen. 1583. *aliisque confirmata, & vsu accepta, est tenoris, qui sequitur.*

a. Ego N. à S. N. in Sæculo N. N. Patria N. Diœc. N. annum agens . . facio meam Professionem Solemnem in Religione Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, & voueo Omnipotenti Deo, Patri, Filio, & Spiritui S. ac Deiparæ semper Virgini Mariæ, & Tibi Patri N. à S. N. Præposito nostro Generali (*vel* Patri N. à S. N. locum Dei tenenti pro Patre N. à S. N. Præposito nostro Generali) & omnibus Successoribus Tuis (*vel eius*) legitimè eligendis, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam; & iuxta eam, Peculiarem Curam circa Puerorum Eruditionem secundùm formam Breuis Pauli V. in nostris Constitutionibus contentam; quam Professionem, & Vota, quibuscumque in contrarium existentibus, quibus nunc

ꝑerè, & integrè renuncio, non ob-
ntibus, firma, rata, & valida sem-
er fore, & esse volo. In quorum
dem his per me exaratis subscripsi
omæ(*vel* N.)hac die.... Mensis ..
.. anni ....

b. Insuper promitto, me nunquam
cturum, nec curaturum, ne indire-
ctè quidem, vt in aliquam Prælatio-
nem, seu Dignitatem in Religione
eligar, seu promouear.

c. Promitto etiam, me nunquam curaturum extra Religionem Dignitatem aliquam, seu Prælationem: nec consensurum, nisi coactus sim Obedientiâ eius, qui mihi præcipere potest sub pœnâ peccati. Tùm siquem certò sciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum, remque totam manifestaturum Religioni, seu eius Præposito Generali.

d. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius in atrijs Domus Domini in medio tui, Hierusalem.

Egò N: à S. N. omnia supradicta confirmo manu propria.

e. *Votum de non ambiendo* vide in Parænesi. n. VII. pag. 14. 15. &c.

f. *Item pro Laicis Operariis tenoris, qui sequitur.*

Io N. di S. N. nel Secolo N. N. del Luo-

Luogo N. Diocesi N. d'anni .. ...
faccio la mia Professione solenne
per fratello Operario Laico nella
Religione de' Chierici Regolari Poveri della Madre di Dio delle Scuole Pie; e prometto all'Onnipotente
Iddio, Padre, Figliuolo, e Spirito
Santo, & alla Beatissima sempre Vergine Maria, & à Voi Padre N. di S.N.
Nostro Preposito Generale (*ò pure* N. di
S. N. in nome, e per parte del Padre
N. di S. N. nostro Preposito Generale) & à vostri, (*ò pure* à suoi) legitimi
Successori, e faccio Voto di Pouertà,
Castità, & Obedienza: Et anco prometto, e faccio il quarto Voto di non
ambire lo Stato Clericale, ne alcuna
Voce attiua, ò passiua, nè portar Chierica, nè Beretta fino alla mia morte:
La qual Professione, e Voti, non
ostando qualunque cosa in contrario,
alle quali tutte adesso liberamente, &
intieramente rinuntio, intendo, e voglio, che siano rati, e validi in ogni
tempo. In fede di che hò sottoscritto
la presente di mia propria mano. In
Roma (*ò pure* in N.) questo di ... del
mese .... dell'anno ....

Renderò li miei Voti al Signore
alla presenza del suo popolo negl'atrij della Casa del Signore nel mezzo
di te, ò Gierusalemme.

Io N. di S. N. confermo quanto sopra di mano propria.

g. *Clerici continuò post emissam Religionis Professionem, ad formam Tridentini, præscriptam à* Pio *IV. Const.* Iniunctum nobis. *Idibus Nouembris* 1564. *vnà ibidem Fidei Professionem emittant; & Actus in eodem Regularis Professionis Authographo summatim connotetur.* * Cap. Gen. 1637.

i. *Professionem suam irritam probare, aut quoquomodo egredi à Religione tentantes, præter munerum omnium priuationem, Voce careant actiua, & passiua; nec vllo modo valeant domesticis rerum quarumcumque agendarum Congregationibus interesse, donec vel resipiscant, vel causam absoluant.* Cap. Gen. 1659. & 1665.

l. *Porrò malitiosè contra Professionem emissam reclamantes, falsos testes adhibendo, & mentita documenta producendo, detecta falsitate, inhabiles fiunt ad Religionis Gradus obeundos in perpetuum: Operarii autem in perpetuum pariter loco suæ Professionis priuantur.* Cap. Gen. 1692.

m. *Hi verò, qui post transitum à nostra in aliam Religionem, redierint, locum habent vbique à die reditus.* Cap. Gen. 1641.

Ad 41. *Renouatio Votorum, quæ in festo Sanctorum omnium consueuit, in festum Dominicæ Natiuitatis translata*. Cap. Gen. 1637.

a. *In Spiritualibus Exercitiis, quæ ante Votorum Renouationem, bis in anno habendam, præscribuntur, per octiduum (* satiùs per decem dies, ad lucrandam Indulgentiam Plenariam à Paulo V.* 1606. *concessam) proponantur extraordinariæ Meditationes, ad morum reformationem conducentes, super quibus per integram horam de manè, per aliam integram de sero mentaliter oretur*. Cap. Gen. 1637.

b. *Quæ quidem Exercitia in eam formam redacta sunt ratione Instituti, pro Magistris, & aliis multifariam occupatis; non autem pro Nouitiis, & Iunioribus; pro quibus* vide ad 27. & ad 256. a. b. c. *Porrò omnes eo tempore, præter iussam conscientiæ expiationem, silentio, modestiæ, recessui, sacrorum librorum lectionibus, aliisque piis exercitationibus pro virili vacent.* *

c. *Generalis Censurarum, & Casuum reseruatorum absolutio, atque super secretis Irregularitatibus ex quocumque capite, vel causa (præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, ac membrorum mutilationis, cum reincidentia tamen in easdem Censuras, si sic absolu-*

ti, & dispensati pro tempore, à Religione quandocumque egrediantur, iuxta Greg.XIV.Const. Illius,qui. 1591.) *dispensatio ratione Renouationis Votorum per cuiusque Confessarium approbatum pro ea vice tantùm conceditur*. Cap. Gen. 1641. *Quæ facultas ad triduum, die Renouationis complendum, vigeat.* *

d. *Nolentes renouare Vota de more, Voce actiua, & passiua priuantur, arbitrio Generalis; quòd maximi sit scandali*. Cap. Gen. 1641. 1659. & 1671.

e. *Renouationis Votorum formula pro Clericis* à Cap. Gen. 1659 *statuta est*.

f. Ego N. à S. N. me ipsum totum Omnipotenti Deo, ac Deiparæ semper Virgini Mariæ offero, & dedico: ac Vota solemnia, aliàs à me emissa, libenter, & ex toto corde renouo, & confirmo Romæ (*vel* N.) hac die ..... Mensis .... anni ....

Item pro Laicis Operarijs.

g. Io N. di S. N. offerisco, e dedico tutto me stesso all'Onnipotente Dio, & alla Beata sempre Vergine Maria: & i Voti solenni, da me altra volta fatti, volontieri, e di tutto cuore rinouo, e confermo in Roma

(ò

(*ò pure* in N.) questo di . . . . del mese . . . . . . dell'anno . . . .

De Recessu à Sæcularibus.

CAPVT IV.

42. Affectus omnis erga Propinquos, & amicos abdicandus, & in spiritualem conuertendus.

43. Vni Christo Domino viuere omnes, & placere studeant.

44. Studia quæcumque rerum sæcularium reijciantur.

45. Nemo sinè Superioris veniâ Sæculares, etiam Propinquos alloquatur.

46. Siquis ab Externis obiter interrogetur, perpaucis respondeat: remque totam Superiori, vel Deputato renunciet.

47. In testimonio ferendo, nisi legitimè coactus; in testamentis condendis, aut exequendis; in tutelâ quoquomodo suscipiendâ; & in pertractandis Matrimonijs nemo se immisceat.

48. Sæcularium domûs, nisi pro

re graui, & cum socio, à Superiore ad id designato, non adeantur.

49. Vetitum sinè Superioris nutu Sæculares in Cellam, & Ædes nostras adducere.

50. Interdicta quæcumque familiaritas cum mulieribus, & affinitas per Baptismum, & Confirmationem cum quibuscumque.

51. Monialium consuetudo, colloquia, & Confessionum exceptio sub graui pœna prohibentur Nostratibus.

52. Fores ante primam noctis horam claudantur: & claues, per totam noctem seruandæ, Superiori tradantur.

53. Sinè legitima causa, & absque lumine, si lampas desit, Domum noctu nemo circumeat, ne alios perturbet.

54. Semper ardeat nocturno tempore lampas in medio Dormitorio, ex decreto Clementis VIII.

NOTÆ.

Ad 45. Ad colloquendum cum Sæcularibus satis est, si particularis, vel generalis accedat Superiorum facultas. Reg.com.n.3.

a. *Ita verò agat quisque cum Sæcularibus, vt quidquid verborum, &* re-

rerum profertur, fit eorum ædificationi. Propterea secreta Religionis, ex quibus eidem, vel alicui ex Nostris infamia, seu nota quæcumque sequeretur, verbo vel scripto, etiam per manus Sæcularium manifestans subeat pœnas Can. pœn. c. 10.

b. *Sæcularium Conuictus, etiam ex titulo donationum, & eiusmodi, prohibetur; nisi Generalis cum suis Assistentibus consensus accedat.* Cap. Gen. 1637.

Ad 46. Siquis rem grauem, seu alicuius momenti cum Sæcularibus tractauerit, eam Superiori, vel ab eo Deputato renunciet. Reg. com. num. 3. & Cap. Gen. 1637.

Ad 47. Nullus cuiquam testimonium tradat, seu facto subscribat, nisi post ibidem subscriptam à Superiore facultatem; secùs inualidum vbique habeatur. * Cap. Gen. 1692.

a. *Si quis verò testimonium, quod in foro contentioso inseruire possit, pro aliquo Sæculari fecerit, vel facto subscripserit sinè subscripta pariter Superioris licentia, pœnam ipso facto subibeat per triennium priuationis Vocis actiuæ, & passiuæ, si fuerit Sacerdos; retardatæ per idem tempus promotionis ad Ordines, si Clericus; vltimi loci tantundem inter Professos, si Laicus.* * Cap. Gen. 1692.

b. *Da-*

b. *Dari permittuntur Scholaribus, & aliis Exteris de vita, & moribus, profectu, Scholarum frequentia, & eiusmodi testimonia; item accipi circa valetudinem à Medicis.* Cap. Gen. 1692.

c. *Interdictum de non se immiscendo in Testamentis condendis declaratur intelligendum quoad Tutelam, & Curationē sinè Superioris lcentia.* C. G. 1659.

Ad 48. *Soli nunquam incedant Quæstores ad eleemosynas corrogandas: & semper ad pernoctandum Domum reuertantur.* Cap. Gen. 1641. *nisi grauis urgeat necessitas.* *

a. *Quisquis sinè socio per Superiorem assignato incesserit, pœnas luat iuxta* Can. pœn. c. 13. *Pro qua inuiolabili obseruantia Superiorum omnium conscientiæ seriò onerantur.* * ex Cap. Gen. 1641.

b. *Siquando nullus Domi Superior, nec eius vices gerens extiterit, primus Sacerdos, vel alius, à Superiore locali, vel* Prouinciali *Delegatus, pro licentia, & benedictione in exitu, & reditu, adeatur.* *

c. *Nullæ admittantur Fundationes, pro quibus alendis, eminùs quæstuandum, & noctu inter Sæculares agendum sit.* Cap. Gen. 1641. *Proinde Domus pauperes, vbi ad sufficientem fortunam euectæ fuerint, eiusmodi vsum aboleāt.* *

d. *Interdictum* Prouincialibus, *nè cuiquam in Cappellanos, qui debeant extra Claustra commorari, Nostrates concedant; quòd siquis eiusmodi munus sibi quæritauerit, pœnas procurantium sibi Magnatum, vel Exterorum commendationes ferat.* Cap. Gen. 1692. Vide ad 134. a. b. & Can. pœn. c. 13.

Ad 49. *Ad cautiorem eiusmodi recessum à Sæcularibus, circa Reos Inquisitos, & contumaces ad nostras Domos confugientes seruetur ad mentem* Cap. Gen. 1665. *Decretum, quod sequitur:* Sacra Congregatio Statui Regularium præposita, licet Immunitatem Ecclesiaticam ab omnibus obseruari curet; iustis tamen de causis mota prohibet omnibus, & singulis Superioribus localibus, sub pœna priuationis Vocis actiuæ, & passiuæ, ne Inquisitos, & Iustitiæ contumaces receptent, ac retinere audeant. *

Ad 51. *A colloquio Monialium, etiam consanguinearum Nostri abstineant, & Confessiones earum nemini liceat audire absque Prouincialis licentia (quam solùm pro Extraordinariis possit impertiri, *) & iuxta Sanctiones Apostolicas: alioquin transgressores graui pœna puniantur.* Reg. com. n. 9. & Cap. Gen. 1659. *decernens, Constitutionem Confessiones Monialium probibentem inuiolabiliter seruandam.*

De Orationis Studio.

CAPVT V.

55. Sine Orationis cultu in relaxationem, & ruinam labitur omnis Religio.

56. Bis quotidie mentaliter orandum; per horam diluculò, per semihoram de sero.

57. Eximiâ Corporis, & animi quiete, flexis genibus, alioue decenti modo habenda Oratio.

58. Iesum Crucifixum, eiusque Virtutes scire, meditari, & imitari semper conemur.

59. Quisquis, etiam de Superioris licentia, Orationi non adfuerit, eam quâprimùm opporrunè persoluat.

60. Conscientia semel ante prandium, & iterùm ante quietem nocturnam examine discutiatur.

61. Bis in diem vocaliter orandum; à prandio scilicet Litaniæ Lauretanæ cum Psalterio Nominis Mariæ; vespere autem, antequàm cubitum eatur, Litaniæ Sanctorum in Oratorio communi recitentur.

62. In Religioso cellæ recessu externi, maximèque interni virtutum

omnium actus, prout Spiritus Sanctus cuique suggeret, frequentiùs exercendi.

NOTÆ.

Ad 55. & 56. Innocentius XII. P. M. maximi præ Zelo suo Apostolico faciens diurnam nobis regularem orandi mentaliter consuetudinem, die 15 *Febr.* 1696. *indulget Religioni, alÿsque vtriusque sexus Confratribus, & Consororibus quorumlibet Oratoriorum, Congregationum, Societatum, & Confraternitatum; tàm hactenùs in Ecclesiis nostris erectarum, quàm imposterùm erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacauerint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos Indulgentiarum: ÿs verò, qui Deuotioni huiusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltèm per quadrantem horæ singulis diebus dabunt operam, interea verò pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Remissionem, quam per modum Suffragÿ animabus in Purgatorio existentibus applicare possint, concedit.*

2. *Insuper, quòd pro mentali Oratione, ad quam regulariter tenentur,* præ-

præfatas omnes Indulgentias, & peccatorum Remissiones proportionaliter lucrari possint, Nostris impertitur. Const. Ad ea, per quæ. &c.

Ad 56. Inter primum, & secundum signum campanulæ, Orationi matutinæ præmitti consuetum, sufficiens aliquod spatium, quod nullibi sit minus quadrante, nec maius semihora, intercedat. Rit.c.4.

a. *Preces in Oratione mentali, aut vocali dici solitæ cum* Punctis *Meditationum ab Hebdomadario in medio ante Altare genuflexo recitentur, & legantur.* Ibi. *Absente tamen, seu impedito Hebdomadario, suppleat, qui sequitur, illi propinquior cæteris ibi præsentibus ex ordine successionis in eo munere. Quod pariter in lectione ad mensam, & aliјs quibusque similibus Officijs, nisi aliter Superior iubeat, obseruetur. Imò, absente, vel impedito Superiore, eiusque vicesgerente, moueat Communitatem, benedictionem, si fuerit Sacerdos, impertiatur, & cuncta de more, præter Capitulum Culparum, non nisi de Superioris mandato instituendum, perficiat quisquis reliquos omnes ibi præcedit Professione, Gradu, vel Priuilegio, licet Hospes ex Nostris existat.* *

b. *Superior locum digniorem occupet in Oratorio, eidemque ab intranti-*

bus , & exeuntibus debita reuerentia exhibeatur . Rit. c. 5. Vide tamen ad 324. e.

c. *Tempus Orationis vespertinæ à Kal. Maii vsque ad Kal. Septembris poterit esse post quietem meridianam, nisi ratio Loci aliter postulet. A kal. verò Septembris vsque ad kal. Maii erit semper ante Refectionem vespertinam.* Ibid.

Ad 59. Nullus ab Orationis, & Refectionis loco absque Superioris licentia egrediatur. Can.pœn.c.2.

¿ a. *Superior minor coram maiore neminem mortificet, nihil promulget; nullam benedictionem, licentiam, vel dispensationem, quamuis particularem, impertiatur; nullum signum ferat, siue ad mouendam Communitatem, siue vtcumque Superioritatis notam præseferens, nisi annuente toties, quoties Superiore maiore in singulis casibus prædictis. In quibus omnibus proportionatè se gerant Subditi in petendo .** Ex Rit. c.8.nu.2. Cap.Gen.1677. & Decl. 20. Decembr.1696.

Ad 61. Psalterium Nominis Mariæ, quod Coronulam Deiparæ dicimus, à Kal. Martij vsque ad kal. Nouembris post horam à prandio recitetur; alijs verò temporibus de sero ante Orationem mentalem. Rit.c.5. *Coronulæ autem recitan-*

citandæ pro temporum ratione ritus describitur suo loco in Synopsi Precum.

a. *Vltima cuiusque mensis die, post Litanias vespertinas, aliquæ Sanctorum nominibus inscriptæ schedulæ cum aliquo Sanctorum Patrum placito, ad morum correctionem opportuno, per sortes singulis distribuantur.* Rit.c.5.

b. *Domo egredientes, & redeuntes dicant consuetas Preces, prout in tabella, quæ vbique Domorum ante Sacram Imaginem, propè quam sit Aqua lustralis, & genuflexorium, alicubi opportunè pateat.* Ex Rit.c.5.

c. *Clerici Sacris Ordinibus non insigniti quotidie priuatim recitent Officium Deiparæ; Operarii verò eiusdem, vt aiunt, Coronam.* Cap. Gen. 1641. & Reg. Scholast. n. 6.

d. *Singulis Sabbatis, perùigiliis, & festiuitatibus Deiparæ Litaniæ Lauretanæ in singulis Ecclesiis nostris ante noctem cantu plano, & alto per Sacerdotem Hebdomadarium cum duobus Clericis, cæteris ordinatim in Ecclesiam euntibus, cantentur.* Rit.c.2. *cum Versiculo, Responsorio, & Oratione occurrentibus.* *

De Silentio.

CAPVT VI.

63. Ne cuiquam sit vana Religio, silentium, eiusdem custos, religiosè seruandum.

64. Voce altâ, & nisi Superior concesserit, loqui non licet.

65. Strictiùs à primâ nocte vsque ad sequentis diei ortum, & horâ quietis meridianæ silendum.

66. In Ecclesia, Sacrario, Bibliothecâ, & Refectorio semper tacendum, vel voce humili, perpaucis, & ex necessitate loquendum.

67. In Communitate, vel seruetur silentium, vel saltèm de promouenda Scholarum Piarum perfectione sermo fiat: nemo tamen sententiam suam ferat, nisi Superior annuat: aliàs per hebdomadam, plusue, minusue, Superioris arbitrio, sileat.

68. Alienam cellam, vel proprij Lectoris, ne quis, nisi annuente Superiore, ingrediatur: secùs grauiter eius arbitrio puniendus.

69. Per Aduentum, & Quadragesimam; silentium solertiùs custodiendum.

NO-

NOTÆ.

Ad 63. Exceptis temporibus, & locis, in quibus arctiùs silentium prescribitur, ex honesta causa, modestissimè tamen, colloquia permittuntur. Cap. Gen. 1637. & 1641.

Prætérea nemo, vel cum Domesticis, nisi submissè, modestè, & moderatè loquatur. Reg. com. n. 12.

a. *Quisquis in locis à Constitutione prohibitis silentium neglexerit, animaduertatur iuxta* Can. pœn. cap. 1.

De Suscipiendis Sacramentis.

CAPVT VII.

70. Orationis, & præsentiæ Dei Studium, præcipua Sacramentis ritè frequentandis dispositio.

71. Sacerdotes quotidie Sacrum faciant; quod raró Superior, vel Confessarius impediat.

72. Clerici, & Operarij Dominicis, & festiuis primæ, ac secundæ classis diebus, & semel infra hebdomadam communicent.

73. Singuli bis in hebdomada confiteantur, & quoties necessitas postulet.

74. Leuium culparum contemptus agit in grauiores.

75. Generalis, & Prouincialis vtantur delecto Confessario, qui cæteris virtute præluceat; eumque sui zelatorem, fidumque apud se subditorum voluntatis interpretem instituant.

76. Cautum Confessarijs, ne in *cellis*, aut alibi, quàm in locis designatis, nisi legitimè impeditorum, Confessiones excipiant.

77. Clerici, Operarij, & Sacerdotes non celebrantes quotidie Rei Sacræ intersint.

78. Saltèm bis in mense, vel iuxta Superioris placitum, infirmi Sacra Synaxi reficiantur.

79. Infirmario satagente, infirmis ad obitum festinantibus, antequàm iudicio destituantur, Ecclesiæ Sacramenta ministrentur.

80. Agonizantibus assistant, qui leniter ad actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis eos adhortentur.

81. Ad migrantem cuiusque animam, pijs monitis, & precibus in extremo conflictu iuuandam, dato signo, Communitas conueniat.

NO-

NOTÆ.

Ad 71. Semel in mense indultum Sacerdotibus, quatenùs pro libito, de scientia Superioris, Sacrum faciant, dummodò propterea nullam oblationem suscipiant. Cap. Gen. 1637. *Cæterùm tenentur celebrare in satisfactionem onerum Missarum eius Domus, in qua commorantur: quòd si eiusmodi oneribus vacet, celebrent secundùm intentionem Generalis; qui etiam de celebratis quamprimùm certior fiat.* *

a. *Oblationes pro Missis tradantur statim Sacristæ in libro solito rescribendæ cum expressa offerentis intentione, & si opus fuerit, etiam nomine.* *

b. *Recolenda hic SS.D.Nostri Innoc. XII.P.M. nuperrimè confirmatis Decreta Vrbani VIII. super celebratione Missarum Constitutio edita die* 22. *Decembris,* 1697.

c. *Modus autem deputandi Custodem alterius clauis eleemosynarum pro Missis, vt ibidem decernitur, est idem, qui præscribitur ad* 183. §.

Ad 72. *Clerici, & Operarii communicent die Dominico, & feria quinta, nisi infra hebdomadam occurrat aliqua festiuitas ex præcepto, aut consuetudine, in qua tunc loco feriæ quintæ Communio fiat.* Rit. cap. 3.

a. *Nemo quotidie Sacram Synaxim sumat, nisi à Capitulo, seu Præposito Generali pro tempore probetur causa, & licentia in scriptis accedat.* Rit. c. 3. & Cap. Gen. 1686.

b. *Communio fiat in Missa Conuentuali, quæ celebrabitur, completa Oratione mentali matutina, hora competenti. Verùm in solemnitatibus primæ classis fiat in Missa solemni; & Clerici semper vtantur superpelliceis, Laici pallio.* Rit. c. 3.

c. *Ante Sacram Synaxim ijdem omnes pro præparatione conueniant in Oratorium per quadrantem circiter horæ; tantundem Sacro Conuiuio refecti pro gratiarum actione consuetum Soliloquium, et* Preces *recitando.* Rit. c. 3. n. 3.

Ad 73. Singuli Statuto Communionis die Confessarijs assignatis, & non alteri sinè Superiorum licentia confiteantur. Reg. com. num. 19. & Rit. c. 3.

a. *Licet ex literis Apostolicis Clementis VIII. editis* 23. *Nouembris* 1599. *& Vrbani VIII. datis* 19. *Iunij* 1630. *prorsùs constet, Bullam Cruciatæ non suffragari Regularibus circa facultatem sibi Confessarium eligendi; ad quamcumque tamen interpretationem tollendam, eiusmodi prætensæ libertati renuncia-*

tur

tur; & absolutio proinde impertita nulla declaratur. Cap. Gen. 1677.

Ad 75. Siquis à Generali fuerit in Confessarium, seu priuatum sibi Consultorem electus, nulla utatur prærogatiua; sed vel Professionis, vel muneris Gradum obtineat. Cap. Gen. 1657.

a. *Ad vberiorem conscientiarum tranquillitatem, maioremque in virtutibus profectum satis confert, si pariter delecto, & stabili ex assignatis Confessario quisque confiteatur.**

Ad 77. Clerici, Operarij, & Sacerdotes à Re Sacra facienda præpediti, quotidie Sacro, post Orationem mentalem matutinam habendo, intersint. Reg. com. n. 20.

Ad 81. Inter cætera, morituro suggerenda est Indulgentia Plenaria per Paulum V. anno 1606. die 23. Maij Regularibus, in mortis articulo constitutis, ritè confessis, & Sacro Conuiuio refectis, vel saltèm contritis, & nomen IESV, ore, vel corde inuocantibus impensa.

De Cæremoniarum obseruatione, & Supellectili Ecclesiasticâ.

CAPVT VIII.

82. Semel saltèm in mense, tàm Clerici, quàm Sacerdotes de Sacris Ritibus collationem habeant.

83. Quæ sunt diuini cultus, munda, suisque locis ritè disposita sedulò custodiantur.

84. Ex rerum sacrarum incuriâ liquet Religiosorum inertia.

85. Sacra supellex ne inficiatur, vsui Externis facilè non concedenda.

86. CuppâCalicis, & Pixidis exceptâ, vas nullum aureum, aut argenteum permittatur.

87. Ecclesiæ supellex summæ Paupertati nostræ consona, ne sit serica, neque sericis, aureis, vel argenteis fimbrijs exculta.

88. Stemmata Gentilitia in sacris vestibus ne permittantur: In Eclesijs autem, seu Sacellis, Sæcularium sumptu excitatis, liceant; etiam cum inscriptionibus à Superiore approbatis.

89. Missarum, Officiorum, & eiusmodi onera perpetua ne suscipiantur.

90. Annui redditus, quanquam pro fabrica Ecclesiæ, atque Sacrario, reijciantur.

NOTÆ.

Ad 82. Neglectus menstruæ Sacrorum Rituum conferentiæ, quæ per horam saltèm prima cuiusque mensis Dominica debet institui, corrigatur iuxta Can. pœn.c.13.Cap.Gen.1671. & Rit. c. 1. *Declaratur tamen esse penès Rectoris arbitrium eandem Sacrorum Rituum Lectionem transferre in aliquam aliam diem, scripto præsignandam, primæ cuiusque mensis hebdomadæ commodiorem, & ad semihoram contrahere.* *

Modus autem Sacrorum Rituum à Cæremoniario declarandorum, quantùm res tractanda patitur, conformetur methodo Lectionis Casuum conscientiæ. Vide ad 390.

a. *In Sacris quibusque faciendis seruentur Missalis, Cæremonialis, ac Ritualis Romani Rubricæ ad mentem Gauanti.* Rit.c.1.

b. *Septem festiuitates Deiparæ Matris nostræ, maximè verò Annunciatio, tanquam Dies Natalitius Religionis, & eius Assumptio celebrentur, ac si essent primæ classis. Quibus accedit festum Sancti Iosephi, Religionis Patroni.*

Cap.

Cap. Gen. 1659. 1665. & *vniuersæ Sacræ Familiæ pariter in Patronam assumptæ*. Cap. Gen. 1671. *Assertum præterea inter easdem festiuitates B. Virginis festum Sanctissimi Nominis Mariæ, ex Indulto Innocentii XI. 20. Martij 1683, at sinè præcedenti ieiunio*. Cap. Gen. 1683.

c. *Vt autem vberioribus Matris Virginis, totiusque* Sacræ *Familiæ tutelaribus Patrociniis vbique fruamur; cum Ecclesiæ, seu Altaria de nouo in Ecclesiis nostris eriguntur, consultum erit, si eisdem nuncupentur*.*

d. *Earum verò Solemnitatum cultus esto in* Sacro *solemni habendo, à* Scholis *vacando, scholarium Congregationibus habendis, & eiusmodi ad Pietatis incrementa conducentibus*. Cap. Gen. 1683.

e. *In aliarum festiuitatum celebritatibus communis Ecclesiæ Ritus omninò seruetur*. Rit. c. 1.

Ad 83. Singulis quindecim diebus, vel per Rectorem, vel per Magistrum Cæremoniarum visitetur Sacrum Conuiuium, vt semper decenter seruetur, nec vnquam desit in Custodia. Rit. c. 2.

Ad 86. & 87. Serica supellex, aurea, & argentea vasa in Ecclesiastici Ministerii cultum dono data, seu eleemosynis comparata possunt adhiberi.* Cap. Gen. 1641.

Ad

Ad 89. & 90. Post indultam Apostolicam facultatem in communi possidendi, ab Alexandro VII. 24. Ianuarii 1656. & ab Innocentio XI. 13. Martij 1684. onera perpetua, & redditus acceptantur. * Vide Notas ad 71. a.

De Infirmis.

CAPVT IX.

91. Vbi quis grauiter infirmatur; Infirmario apud Superiorem agente, in Valetudinario collocetur.

92. Solerti curâ ægrotis necessaria ministrentur.

93. Infirmi egregiam sui ædificationem, & patientiam præseferant: non minùs enim Dei donum sanitas, quàm ægritudo.

94. Medico infirmos visitanti comes adsit Infirmarius; quem Solertia, Charitas, & Patientia comitentur.

95. Nihil eorum, quæ à Medico præscribuntur, negligatur.

96. Agat Rector, vt infirmis Charitas omnis adhibeatur; eosque alternis saltèm diebus ipse visitet.

97. Statim initio morbi Sacramentaliter confiteantur infirmi.

98. Terni ad summum confluant ad in-

infirmum: & parciùs cum eo loquantur.

99. Culcitris, puluinaribus, & linteis infirmorum cubilia sternantur; sintque solito latiora.

100. Senum, & valitudinariorum ratio habeatur, illisque arbitrio Superiorum ab onere ieiunij solutis Clericus, vel Operarius aliquis ministret;

101. Aeris mutatione indigentes, in primis ad Orationem confugiant; reque Prouinciali communicatâ, eius consilijs penitùs acquiescant.

102. Nullus alio Medico, quàm Communi, per Superiorem electo, neque vllis pharmacis vtatur sine Infirmarij consensu.

103. Curæ sit Rectoribus, ne Subditi per pœnitentias, & labores indiscretos conterantur.

104. Quidquid in hac parte fecerit, Superiori, & Confessario quisque aperiat; ne se per indiscretionem conficiat.

NOTÆ:

Ad 91. Priuationi Officiorum statim sunt obnoxij Superiores Generali minores, qui subditos, occasione infirmitatum, dimittunt in ædes Propinquorum,

aut aliorum Sæcularium, ad valetudinem instaurandam. Cap. Gen. 1637.

Ad 92. Statutis horis cibus ritè præparatus, & medicamenta præbeantur infirmis; nec vllus absque Infirmarii consensu quidquam illis ministret. Reg. Infirm. n. 7.

Ad 94. & 95. Quidquid præscripserit Medicus, Infirmarius scripto excipiat. Reg. Infirm. n. 8.

Ad 97. Sit Infirmarij, vt ad ægrotos in lectulo decumbentes, saltèm bis in mense, siue sæpiùs, ad placitum Superioris, Eucharistiæ Sacramentum deferatur. Ibid.

Ad 100. Senes, quorum ratio habenda præcipitur, declarantur sexagenario maiores. Cap. Gen. 1659. *De Valetudinariis autem Charitas definit.* *

a. *Qui pedites, ex infirmitate, seu virium imbecillitate, nequeunt itinera obire, commodis viaticis, modestiæ, ac Paupertati maximè conuenientibus, ad Superiorum præscriptum, vtantur.* Cap. Gen. 1641.

CA-

De Sacrificijs, & Orationibus pro Defunctis.

CAPVT X.

105. Sodalibus nostris vitâ functis iugi Pietate suffragandum.

106. Defuncti cadauer statim abluatur, suisque vestibus indutum, luminibus, & custode adhibitis, per diem integrum seruetur inhumatum, nisi citiùs ob tetrum odorem videretur sepeliendum.

107. Cadauere adhuc inhumato, integrum Defunctorum Officium recitetur; Sacerdotes eius Familiæ ter Sacrum faciant; Clerici ter Vesperas Defunctorum; Operarij ter Deiparæ Coronam absoluant in animæ Suffragium.

108 Sacerdotes, & reliqui eiusdem Prouinciæ, de obitu Confratris certiores facti, respectiuè idem Suffragium, sed vnicum exequantur.

109. Cum quis diem extremum obierit, eius nomen cum tempore obitus ad Generalem illicò describatur.

110. Quemadmodū Generali defuncto

cto idem trinum Suffragium tota persoluere tenetur Religio; ita Prouinciali tota Prouincia.

111. Bis fiat Sacrum à singulis Sacerdotibus in obitu Summi Pontificis; nimirùm semel pro Defuncto, semel pro Eligendo.

112. Tertiâ Nouembris Sacrum habeant singuli Sacerdotes pro Nostris Defunctis; eorumque sæpiùs in Sacrificijs meminerint.

NOTÆ.

Ad 105. *Scripta Sodalium vita functorum conseruentur in Bibliotheca eius Domus, in qua obierint; nec indè à quoquam auferantur, sub pœnis Proprietariorum.* Cap. Gen. 1671. *Reliqua verò respectiuè pro communi vsu in Officinis domesticis arbitrio Superioris consignentur.* *

Ad 106. *Sacerdotes habitu Sacerdotali, Clerici Superpelliceis, cum Bireiis, Operarij defuncti pallio, & galero induantur.* Rit. c. 7. *Diaconi, & Subdiaconi suis respectiuè habitibus Ecclesiasticis.* *

Ad feretrum panno nigro vtrimque pendente coopertum, & super nudo pamimento collocatum, ardebunt duo intortitia, si Sacerdotes fuerint; si Clerici,

aut

aut Operarii) duæ faces aliquanto minores; quatuor, si actu Superior quis decesserit. Vnius autem Generalis capulus super prædella, nigro pariter panno cooperta, componatur. Rit c.7.

Ad 107. *Officium Defunctorum dicatur, præsente corpore, tono mediocri sine cantu, & præsentibus in Ecclesia Domesticis cum facibus ad Absolutionem propè feretrum, post* Sacrum *solemne.* Rit. c. 7.

2. *Pro Nostris, in Itinere obeuntibus, Domus, ad quam illi de Familia ordinabantur, vel in qua, non aliò de Familia ordinati, nouissimè residebant, trinum persoluet* Suffragium, *cum Officio Defunctorum, & Missa solemni; at si præsentes in ea Domo interijssent. Quam quidem solemnem cum Officio Missam non omittet proxima Domus, quæ Defuncti Corpus, si fieri poterit, trasferendum, & in propria Ecclesia sepeliendum curabit. Idemque solemne Iustitium peraget ea Domus, in qua Hospes aliquis ex Nostris fortasse obierit.**

Ad 108. Singuli Sacerdotes *pro singulis vniuersæ Religionis Defunctis semel Sacrum faciant: item Clerici, & Operarii Preces in Constitutione præscriptas.* Cap. Gen. 1637.

Ad 109. *Superiores, illicò de Subditorum*

torum obitu moneant Prouincialem; qui continuò cæteros Rectores Prouinciæ, & Generalem certiorem pariter faciat, vt Prouinciarum *omnium* Præpositis *indicere valeat consueta Suffragia.* Cap. Gen. 1637.

a. *Renunciato alicuius obitu, illicò ad valuas, seu consuetum Domorum locum Suffragia intimentur: & in proximo Familiæ conuentu in Oratorium, cum breui defuncti nominis, ætatis, & meritorum recordatione, in eius piaculum Superior intonet* Psal. Deprofundis. *

Ad III. *Semel item in obitu Fundatorum in Domibus ab eisdem fundatis:* Cap. Gen. 1659, & *Eminentissimi Protectoris Missæ Sacrificium a singulis Sacerdotibus vbique offeratur; & à Clericis, & Operariis consueta Suffragia persoluantur.* Cap. Gen. 1641.

Ad 112. *Quemadmodum ipsa die Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum iuxta Ecclesiæ Ritũ; ità secũda die infra Octauam Omnium Sanctorum pro Religionis nostræ Defunctis singuli Sacerdotes celebrent; nec non Officium Defunctorum cantetur, & Sacrum solemne habeatur; ab Operariis verò solitæ Preces persoluantur: tertia verò die, vel proxima non impedita pro nostris Propinquis, Fundatoribus, & Benefa-*

ctori-

Ɛoribus, vel eadem omninò, eodemque ritu à singulis Suffragia fiant; vel saltèm Sacrum solemne cum Officio Defunctorum offeratur. * Cap. Gen. 1659.

2. *De Sepulturis Exterorum penes Ecclesias nostras electis recolendum hoc loco Decretum Sac. Cong. Ep. & Reg. die* 10. *Iulii* 1665. *declarantis* Ordinem Scholarum Piarum gaudere Priuilegijs, quæ circa funera, & quartam funeralem, ac alia huiusmodi competunt alijs Ordinibus Regularibus ad formam Constitutionum Apostolicarum, quibuscumque non obstantibus.

De Capitulo Culparum, & Mortificationibus habendis.

CAPVT XI.

113. Feriâ sextâ vbique Domorum, culparum Capitulum habeatur, frequentiùs autem in Domibus Probationis.

114. Nisi Superior annuat, nemo quemquam in eo moneat.

115. Siquis grauem alterius tentationem nouerit, Superiori secretò aperiat, vt opportunè prouideat.

116. Diebus Dominicis, ad mortificationis, aliarumq; virtutum exercitium, per hebdomadam habendum, à Superiore, vel alio per eum Deputato, ſermo fiat.

117. In mortificationibus, tunc infligendis per hebdomadam, cuiuſquè vires diſcretè perpendantur.

118. Siquis per ordinarias mortificationes parùm profecerit, ad Nouitiatum ordinetur; vbi ſemotus à Nouitijs, ad viam perfectionis adigatur.

119. Mortificationes ordinariæ ſunt: pedes Confratrum deoſculari; genibus flexis in loco refectionis veſci; flagellis ibidem ſe cædere; in pane tantùm, & aquâ ieiunare; cilicium ſuper nudo circumferre; lances detergere; araneas diuellere, & eiuſmodi, pro diſcreto Superiorum arbitrio.

NOTÆ.

Ad 113. Penes Rectorum prudentiam eſt, omnium, vel aliquorum tantùm ſibi Subditorum culpas audire: Item diuturniores, vel breuiores mortificationes infligere; prout etiam de aliorum defectibus aliquos duntaxat ſcitari. Cap. Gen. 1637.

infirmum: & parciùs cum eo loquantur.

99. Culcitris, puluinaribus, & linteis infirmorum cubilia sternantur; sintque solito latiora.

100. Senum, & valitudinariorum ratio habeatur, illisque arbitrio Superiorum ab onere ieiunij solutis Clericus, vel Operarius aliquis ministret;

101. Aeris mutatione indigentes, in primis ad Orationem confugiant; reque Prouinciali communicatâ, eius consilijs penitùs acquiescant.

102. Nullus alio Medico, quàm Communi, per Superiorem electo, neque vllis pharmacis vtatur sine Infirmarij consensu.

103. Curæ sit Rectoribus, ne Subditi per pœnitentias, & labores indiscretos conterantur.

104. Quidquid in hac parte fecerit, Superiori, & Confessario quisque aperiat; ne se per indiscretionem conficiat.

NOTÆ:

Ad 91. Priuationi Officiorum statim sunt obnoxij Superiores Generali minores, qui subditos, occasione infirmitatum, dimittunt in ædes Propinquorum,

aut

aut aliorum Sæcularium, ad valetudinem instaurandam. Cap. Gen. 1637.

Ad 92. Statutis horis cibus ritè præparatus, & medicamenta præbeantur infirmis; nec vllus absque Infirmarii consensu quidquam illis ministret. Reg. Infirm. n. 7.

Ad 94. & 95. Quidquid præscripserit Medicus, Infirmarius scripto excipiat. Reg. Infirm. n. 8.

Ad 97. Sit Infirmarij, vt ad ægrotos in lectulo decumbentes, saltèm bis in mense, siue sæpiùs, ad placitum Superioris, Eucharistiæ Sacramentum deferatur. Ibid.

Ad 100. Senes, quorum ratio habenda præcipitur, declarantur sexagenario maiores. Cap. Gen. 1659. *De Valetudinariis autem Charitas definit.* *

2. *Qui pedites, ex infirmitate, seu virium imbecillitate, nequeunt itinera obire, commodis viaticis, modestiæ, ac Paupertati maximè conuenientibus, ad Superiorum præscriptum, vtantur.* Cap. Gen. 1641.

CA-

cto idem trinum Suffragium tota persoluere tenetur Religio; ita Prouinciali tota Prouincia.

111. Bis fiat Sacrum à singulis Sacerdotibus in obitu Summi Pontificis; nimirùm semel pro Defuncto, semel pro Eligendo.

112. Tertiâ Nouembris Sacrum habeant singuli Sacerdotes pro Nostris Defunctis; eorumque sæpiùs in Sacrificijs meminerint.

NOTÆ.

Ad 105. *Scripta Sodalium vita functorum conseruentur in Bibliotheca eius Domus, in qua obierint; nec indè à quoquam auferantur, sub pœnis Proprietariorum.* Cap. Gen. 1671. *Reliqua verò respectiuè pro communi vsu in Officinis domesticis arbitrio Superioris consignentur.* *

Ad 106. *Sacerdotes habitu Sacerdotali, Clerici Superpelliceis, cum Bireiis, Operarij defuncti pallio, & galero induantur.* Rit. c. 7. *Diaconi, & Subdiaconi suis respectiuè habitibus Ecclesiasticis.* *

Ad feretrum panno nigro vtrimque pendente coopertum, & super nudo panimento collocatum, ardebunt duo intortitia, si Sacerdotes fuerint; si Clerici,

aut

torum obitu moneant Prouincialem; qui continuò cæteros Rectores Prouinciæ, & Generalem certiorem pariter faciat, vt Prouinciarum omnium Præpositis indicere valeat consueta Suffragia. Cap. Gen. 1637.

a. *Renunciato alicuius obitu, illicò ad valuas, seu consuetum Domorum locum Suffragia intimentur: & in proximo Familiæ conuentu in Oratorium, cum breui defuncti nominis, ætatis, & meritorum recordatione, in eius piaculum Superior intonet* Psal. Deprofundis. *

Ad III. *Semel item in obitu Fundatorum in Domibus ab eisdem fundatis:* Cap. Gen. 1659, *& Eminentissimi Protectoris Missæ Sacrificium a singulis Sacerdotibus vbique offeratur; & à Clericis, & Operariis consueta Suffragia persoluantur.* Cap. Gen. 1641.

Ad 112. *Quemadmodum ipsa die Commemorationis Fidelium omnium Defunctorum iuxta Ecclesiæ Ritũ; ita secũda die infra Octauam Omnium Sanctorum pro Religionis nostræ Defunctis singuli Sacerdotes celebrent; nec non Officium Defunctorum cantetur, & Sacrum solemne habeatur; ab Operariis verò solitæ Preces persoluantur: tertia verò die, vel proxima non impedita pro nostris Propinquis, Fundatoribus, & Benefa-*

ctori-

Cloribus, vel eadem omninò, eodemque ritu à singulis Suffragia fiant; vel saltèm Sacrum solemne cum Officio Defunctorum offeratur. * Cap. Gen. 1659.

2. *De Sepulturis Exterorum penes Ecclesias nostras electis recolendum hoc loco Decretum Sac. Cong. Ep. & Reg. die 10. Iulii 1665. declarantis* Ordinem Scholarum Piarum gaudere Priuilegijs, quæ circa funera, & quartam funeralem, ac alia huiusmodi competunt alijs Ordinibus Regularibus ad formam Constitutionum Apostolicarum, quibuscumque non obstantibus.

De Capitulo Culparum, & Mortificationibus habendis.

CAPVT XI.

113. Feriâ sextâ vbique Domorum, culparum Capitulum habeatur, frequentiùs autem in Domibus Probationis.

114. Nisi Superior annuat, nemo quemquam in eo moneat.

115. Siquis grauem alterius tentationem nouerit, Superiori secretò aperiat, vt opportunè prouideat.

116.

116. Diebus Dominicis, ad mortificationis, aliarumq; virtutum exercitium, per hebdomadam habendum, à Superiore, vel alio per eum Deputato, sermo fiat.

117. In mortificationibus, tunc infligendis per hebdomadam, cuiusque vires discretè perpendantur.

118. Siquis per ordinarias mortificationes parùm profecerit, ad Nouitiatum ordinetur; vbi semotus à Nouitijs, ad viam perfectionis adigatur.

119. Mortificationes ordinariæ sunt: pedes Confratrum deosculari; genibus flexis in loco refectionis vesci; flagellis ibidem se cædere; in pane tantùm, & aquâ ieiunare; cilicium super nudo circumferre; lances detergere; araneas diuellere, & eiusmodi, pro discreto Superiorum arbitrio.

NOTÆ.

Ad 113. Penes Rectorum prudentiam est, omnium, vel aliquorum tantùm sibi Subditorum culpas audire: Item diuturniores, vel breuiores mortificationes infligere; prout etiam de aliorum defectibus aliquos duntaxat scitari. Cap. Gen. 1637.

retò delato-
ortunam
at, Officio

inicis post
olita, semi-
5. Omitti
a Domo ad
m admissus

odi Concio-
VIII. in
num. 38. de
ina, regu-
habeatur.
mone Recto-
in gyro, seu
Rectore ali-
ocumento ex
ctione. Indè
ularis ansam

erior, cum
erior mortifi-
in fine Con-
suo nomine
atori deman-

SY-

SYNOPSIS CONSTITVTIONVM
PARS SECVNDA.

De Tribus Votis in genere.

CAPVT I.

120. Charitatis perfectionem facilè assequitur quisquis virtutibus, Votorum sacramento assertis, famulatur.

121. Superior sæpè, non cellas tantùm, visitando, sed Subditorum etiam conscientias, explorando, scrutetur.

122. Initio tertij cuiusque mensis Constitutiones, Regulæ, Ritus, & Consuetudines Religionis prælegantur ad mensam.

123. Quotidie corâm Augustissimo Eucharistiæ Sacramento Vota priuatè renouentur: publicè verò ad Resurrectionis Dominicæ, Omniumque Sanctorum celebritates, præmissâ generali Confessione ab vltima, confirmentur.

NOTÆ.

Ad 120. *Aliquod ex Votis violans, pro criminis grauitate, plectatur pœna grauiori*. Can. pœn. c. 4. *Quòd si relapsus fuerit, subeat pœnas* ibid. *constitutas* c. 5. & seq.

Ad 121. *Præcepta frequens cubiculorum Visitatio Rectoribus, declaratur semel saltèm in mense, cum duobus Socijs, ex Senioribus in Professione Sacerdotibus; in quorum cubiculis visitandis, alij duo pariter Grauiores assumantur*. Cap. Gen. 1641.

a. *Porrò in ea Visitatione Rectores arcas, etsi ob rationabilem causam fuerint clauibus obseratæ, reuideant; superflua, & curiosa amoueant, & eiusmodi* Paupertati, & *Modestiæ nostræ contraria*. Cap. Gen. 1677.

b. *Omnes propterea Rectores clauim fabrefactam habeant, qua omnium cellas pro libito aperiant*. Cap. Gen. 1659. ex Decr. Clem. VIII.

c. *Ritus exigendi conscientiæ rationem refertur* P. 3. c. 5. Const. de Visitatoribus ad 374. a.

Ad 122. *Per Constitutiones nostras, pluries Apostolica firmitate roboratas, legum ferendarum Religioni facta est facultas, iuxta* Const. P. 3. c. 1. §. 2. n. 294. &

ad 294. Item P.3. c.8.n.407. Vide Parænes. in princip. Synops. n. VI. pag. 11. *Præterea Regulæ communes, & Ritus, vt idem vbique ordo, & modus eat, eduntur, & probantur* in Ca. Gen. 1665. *quemadmodum Canones pœnales* in Cap. Gen. 1686.

a. *Eo cultu nostras Constitutiones vbique prosequi debemus; vt seriò quæcumque supplicatio apud* Sedem *Apostolicam pro quacumque illarum relaxatione, sub obreptionis, & subpretionis pœna interdicatur*. Cap. Gen. 1692.

b. *Versiones Constitutionum, ex latina in aliam linguam adulteratæ, sub anathemate, nisi alicuius Generalis Capituli censuram, & fidem subierint, prohibentur*. Cap. Gen. 1659.

c. *Exemplaria Constitutionum nullius fidei sunt, nisi fuerint cum Autographo Romano diligenter collata, & per Generalem probata*. Cap. Gen. 1659.

d. *Singularū autem Prouinciarū Archiua vnū saltèm exemplar Constitutionum, Regularum, Rituum, Canonum pœnalium, & futurorum Capitulorum Generalium emendatum, & authenticum habeant; ex quo* Prouinciales, & *Visitatores Domibus, &* Personis *eorum copiam faciant, suis manu, & sigillo roboratam*. Cap. Gen. 1659.

e.

c. *Porrò, non solùm, quæ legibus nostris municipalibus continentur, sed etiam Decreta Clementis VIII.* pro Reg. Ref. *plenariæ omnium obseruantiæ commendantur*. Cap. Gen. 1637. *& Constitutiones Apostolicæ, sub pœnis per easdem statutis*. Capitul. Generale 1692. *Ideò quæcumque iubentur certis quibusdam temporibus Capitulariter legi, & publicari, legantur, seu publicentur de more in mensa, & respectiuè in quocumque Capitulari congressu*. *

Ad 123. Vide Partis primæ cap. 3. Const. n. 41. cum Notis circa Votorum Renouationem d.

a. *Occasione diurnæ Votorum Renouationis coram Augustissimo Sacramento priuatim, recitari consueuit quinquies Oratio Dominica, &* Salutatio *Angelica, ad lucrandos quotidie quinque annos cum totidem quadragenis Indulgentiarum*, ex Indulto Pauli V. 23. Maij 1606.

b. *Quemadmodum ibidem deuotè orantes definitis* Stationum *diebus, easdem, quæ acquiruntur in visitandis illarum Ecclesiis, ac si personaliter accederent, consequi possunt Indulgentias*. Id. ibid.

De Obedientia.

CAPVT II.

124. Stultitiæ ſimilis voluntas propria, coeuntibus in vnam Obedientiam cunctis virtutibus.

125. Superiori, quiſquis ille ſit, fortiter, & humiliter, tanquam Patri, parendum.

126. In Superiore pręcipiente Christus Dominus contemplandus.

127. Erit Subditorum, non præſtolari Superioris præceptum, ſed, ad perſpicuum quemcumque illius voluntatis nutum, obedire.

128. Non cui, ſed propter quem obeditur, intuendum.

129. Siquid manifeſtè ſupra vires præcipiatur, non abnuendum: ſin autem id Superiorem lateat, eidem ſubmiſsè, abſque reniſu pateſiat.

130. Liberum quiſque ſui, rerumque ſuarum Superiori relinquat arbitrium.

131. Nihil, ne conſcientiā quidem Superior celetur, ſed frequens eiuſdem ratio reddatur.

132. Quisque Superioris iudicio humiliter acquiescat.

133. Ad Superioris vocem, & signa Communitatis ita conuolandum, vt vel apex infectus relinquatur.

134. Non modò Superioribus, sed Ministris quoque in eorum Officijs humiliter parendum.

135. Rem Deo gratissimam præstat quisquis per infallibilem veræ Obedientiæ ductum, quocumque, vbi culpa non est, ferri, & agi se sinit.

136. Quæque mortificatio, quanquam innocentibus inflicta, fortiter obeunda.

137. Dare, aut accipere literas, priusquàm à Superiore legantur, audeat nemo: quas ille lectas, pro sua prudentia reddat, vel retineat.

138. Superiores Authoritatẽ cum Prudentiâ ita coniungant, vt sese homines hominibus præesse memores, humanitatem potiùs, quàm seueritatem adhibeant.

NOTÆ.

Ad 124. Quisquis Exterorum commendationibus vtetur, si Sacerdos, vtraque Voce priuetur, & Domo exire interdicatur; si Clericus, vel Operarius, in cubiculo ab aliorum commercio semotus,

ctoribus, vel eadem omninò, eodemque ritu à singulis Suffragia fiant; vel saltèm Sacrum solemne cum Officio Defunctorum offeratur. * Cap. Gen. 1659.

2. *De Sepulturis Exterorum penes Ecclesias nostras electis recolendum hoc loco Decretum Sac. Cong. Ep. & Reg. die 10. Iulii 1665. declarantis* Ordinem Scholarum Piarum gaudere Priuilegijs, quæ circa funera, & quartam funeralem, ac alia huiusmodi competunt alijs Ordinibus Regularibus ad formam Constitutionum Apostolicarum, quibuscumque non obstantibus.

De Capitulo Culparum, & Mortificationibus habendis.

CAPVT XI.

113. Feriâ sextâ vbique Domorum, culparum Capitulum habeatur, frequentiùs autem in Domibus Probationis.

114. Nisi Superior annuat, nemo quemquam in eo moneat.

115. Siquis grauem alterius tentationem nouerit, Superiori secretò aperiat, vt opportunè prouideat.

116. Diebus Dominicis, ad mortificationis, aliarumq; virtutum exercitium, per hebdomadam habendum, à Superiore, vel alio per eum Deputato, sermo fiat.

117. In mortificationibus, tunc infligendis per hebdomadam, cuiusque vires discretè perpendantur.

118. Siquis per ordinarias mortificationes parùm profecerit, ad Nouitiatum ordinetur; vbi semotus à Nouitijs, ad viam perfectionis adigatur.

119. Mortificationes ordinariæ sunt: pedes Confratrum deosculari; genibus flexis in loco refectionis vesci; flagellis ibidem se cædere; in pane tantùm, & aquâ ieiunare; cilicium super nudo circumferre; lances detergere; araneas diuellere, & eiusmodi, pro discreto Superiorum arbitrio.

NOTÆ.

Ad 113. Penes Rectorum prudentiam est, omnium, vel aliquorum tantùm sibi Subditorum culpas audire: Item diuturniores, vel breuiores mortificationes infligere; prout etiam de aliorum defectibus aliquos duntaxat scitari. Cap. Gen. 1637.

a. *Capitulum culparum diebus festis ex præcepto, aut consuetudine, feria sexta recurrentibus, potest omitti.* Rit. c.6. *eius autem loco saltèm actus Contritionis eliciatur, cum Oratione*: Deus, qui culpa offenderis.*

b. *Cautum Superioribus, ne per sermones prolixos tædium pariant; & quatenùs in corriggendo solius fraternæ correctionis Zelo, & Charitate ferantur.* Rit. c. 6.

c. *Pro Nouitijs autem ter saltèm singulis hebdomadis Capitulum eiusmodi habeatur, vt in eorum Regulis.* c.12. *Statuta propterea feriæ secunda, quarta, & sexta.**

d. *Culparum Capitulum haberi potest, vel de mane post Orationem mentalem, vel ad Vesperas post serotinam.* Rit. c. 6.

e. *Quisquis in Capitulo culparum dolens suos defectus accusauerit, & spiritualiter communicauerit, actus virtutum frequentando, tres annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum toties, quoties lucratur.* Paulus V. 23. Maij 1606.

Ad 114. *Solemni consuetudine acceptum in Religione, quòd cum quis extrinsecùs aliquo modo, etiam leuissimè defecerit, ante sacram lectionem in publico Refectorio culpam dicat genuflexus.**

Ad

Ad 115. *Superior, qui ſecretò delatorem, & rem delatam, ad opportunam alicuius correctionem, non celat, Officio priuandus*. Cap. Gen. 1637.

116. *Concio, diebus Dominicis post Orationem ſerotinam haberi ſolita, ſemihoram non excedat*. Rit. c. 5. *Omitti poteſt, ſi ea die aliquis in illa Domo ad Habitum, ſeu Profeſſionem admiſſus fuerit*. Rit. c. 5.

a. *Thema verò huiuſmodi Concionum inſinuatur à Clemente VIII. in Decr.* pro Reform. Regul. num. 38. de religioſa, ſcilicet, diſciplina, regularique obſeruantia Sermo habeatur.

b. *Fieri poteſt, vel Sermone Rectoris, vel Sacerdotis alicuius in gyro, ſeu Deputati; aut requiſitis à Rectore aliquibus ſuper aliquo pio documento ex occurrentis Euangelij lectione. Indè Superior Exhortationis regularis anſam deſumat.** Rit. c. 5.

c. *Si alius, quàm Superior, eum Sermonem habeat, ipſe Superior mortificationem per hebdomadam in fine Concionis indicat; vel ſaltèm ſuo nomine promulgandam Sermocinatori demandet.**

SYNOPSIS CONSTITVTIONVM

PARS SECVNDA.

De Tribus Votis in genere.

CAPVT I.

120. Charitatis perfectionem facilè assequitur quisquis virtutibus, Votorum sacramento assertis, famulatur.

121. Superior sæpè, non cellas tantùm, visitando, sed Subditorum etiam conscientias, explorando, scrutetur.

122. Initio tertij cuiusque mensis Constitutiones, Regulæ, Ritus, & Consuetudines Religionis prælegantur ad mensam.

123. Quotidie coràm Augustissimo Eucharistiæ Sacramento Vota priuatè renouentur: publicè verò ad Resurrectionis Dominicæ, Omniumque Sanctorum celebritates, præmissâ generali Confessione ab vltima, confirmentur.

NO-

NOTÆ.

Ad 120. *Aliquod ex Votis violans, pro criminis grauitate, plectatur pœna grauiori*. Can. pœn. c. 4. *Quòd si relapsus fuerit, subeat pœnas* ibid. *constitutas* c. 5. & seq.

Ad 121. *Præcepta frequens cubiculorum Visitatio Rectoribus, declaratur semel saltèm in mense, cum duobus* Socijs, *ex* Senioribus *in Professione Sacerdotibus; in quorum cubiculis visitandis, alij duo pariter Grauiores assumantur*. Cap. Gen. 1641.

a. Porrò *in ea Visitatione Rectores arcas, etsi ob rationabilem causam fuerint clauibus obseratæ, reuideant; superflua, & curiosa amoueant, & eiusmodi* Paupertati, *& Modestiæ nostræ contraria*. Cap. Gen. 1677.

b. *Omnes propterea Rectores clauim fabrefactam habeant, qua omnium cellas pro libito aperiant*. Cap. Gen. 1659. ex Decr. Clem. VIII.

c. *Ritus exigendi conscientiæ rationem refertur* P. 3. c. 5. Const. de Visitatoribus ad 374. a.

Ad 122. *Per Constitutiones nostras, pluries Apostolica firmitate roboratas, legum ferendarum Religioni facta est facultas, iuxta* Const. P. 3. c. 1. §. 2. n. 294. &

ad 294. Item P. 3. c. 8. n. 407. Vide Parænes. in princip. Synops. n. VI. pag. 11. *Præterea Regulæ communes, & Ritus, vt idem vbique ordo, & modus eat, eduntur, & probantur* in Ca. Gen. 1665. *quemadmodum Canones pœnales in* Cap. Gen. 1686.

a. *Eo cultu nostras Constitutiones vbique prosequi debemus; vt seriò quæcumque supplicatio apud* Sedem *Apostolicam pro quacumque illarum relexatione, sub obreptionis, & subpretionis pœna interdicatur*. Cap. Gen. 1692.

b. *Versiones Constitutionum, ex latina in aliam linguam adulteratæ, sub anathemate, nisi alicuius Generalis Capituli censuram, & fidem subierint, prohibentur*. Cap. Gen. 1659.

c. *Exemplaria Constitutionum nullius fidei sunt, nisi fuerint cum Autographo Romano diligenter collata, & per Generalem probata*. Cap. Gen. 1659.

d. S*ingularũ autem* P*rouinciarũ Archiua vnũ saltèm exemplar Constitutionum, Regularum, Rituum, Canonum pœnalium, & futurorum Capitulorum Generalium emendatùm, & authenticum habeant; ex quo* Prouinciales, & *Visitatores Domibus, &* Personis *eorum copiam faciant, suis manu, & sigillo roboratam*. Cap. Gen. 1659.

c.

c. *Porrò, non solùm, quæ legibus nostris municipalibus continentur, sed etiam Decreta Clementis VIII.* pro Reg. Ref. *plenariæ omnium obseruantiæ commendantur.* Cap. Gen. 1637. *& Constitutiones Apostolicæ, sub pœnis per easdem statutis.* Capitul. Generale 1692. *Ideò quæcumque iubentur certis quibusdam temporibus Capitulariter legi, & publicari, legantur, seu publicentur de more in mensa, & respectiuè in quocumque Capitulari congressu.* *

Ad 123. Vide Partis primæ cap. 3. Const. n. 41. cum Notis circa Votorum Renouationem d.

a. *Occasione diurnæ Votorum Renouationis coram* Augustissimo *Sacramento priuatim, recitari consueuit quinquies Oratio Dominica, &* Salutatio *Angelica, ad lucrandos quotidie quinque annos cum totidem quadragenis Indulgentiarum,* ex Indulto Pauli V. 23. Maij 1606.

b. *Quemadmodum ibidem deuotè orantes definitis* Stationum *diebus, easdem, quæ acquiruntur in visitandis illarum Ecclesiis, ac si personaliter accederent, consequi possunt Indulgentias.* Id. ibid.

De Obedientia.

CAPVT II.

124. Stultitiæ ſimilis voluntas propria, coeuntibus in vnam Obedientiam cunctis virtutibus.

125. Superiori, quiſquis ille ſit, fortiter, & humiliter, tanquam Patri, parendum.

126. In Superiore prçcipiente Christus Dominus contemplandus.

127. Erit Subditorum, non præſtolari Superioris præceptum, ſed, ad perſpicuum quemcumque illius voluntatis nutum, obedire.

128. Non cui, ſed propter quem obeditur, intuendum.

129. Siquid manifeſtè ſupra vires præcipiatur, non abnuendum: ſin autem id Superiorem lateat, eidem ſubmiſsè, abſque reniſu pateſiat.

130. Liberum quiſque ſui, rerumque ſuarum Superiori relinquat arbitrium.

131. Nihil, ne conſcientiã quidem Superior celetur, ſed frequens eiuſdem ratio reddatur.

132. Quisque Superioris iudicio humiliter acquiescat.

133. Ad Superioris vocem, & signa Communitatis ita conuolandum, vt vel apex infectus relinquatur.

134. Non modò Superioribus, sed Ministris quoque in eorum Officijs humiliter parendum.

135. Rem Deo gratissimam præstat quisquis per infallibilem veræ Obedientiæ ductum, quocumque, vbi culpa non est, ferri, & agi se sinit.

136. Quæque mortificatio, quanquam innocentibus inflicta, fortiter obeunda.

137. Dare, aut accipere literas, priusquàm à Superiore legantur, audeat nemo: quas ille lectas, pro sua prudentia reddat, vel retineat.

138. Superiores Authoritatē cum Prudentiâ ita coniungant, vt sese homines hominibus præesse memores, humanitatem potiùs, quàm seueritatem adhibeant.

NOTÆ.

Ad 124. Quisquis Exterorum commendationibus vtetur, si Sacerdos, vtraque Voce priuetur, & Domo exire interdicatur; si Clericus, vel Operarius, in cubiculo ab aliorum commercio semotus,

ter in bebdomada ieiunet, donec obediat. Cap.Gen.1677. & Can. pœn.c.13.

a. *Præterea, si Clericus directè, vel indirectè per interposita Externorum officia quæritaret ad Ordines quoscumque promoueri, eo ipso per triennium ad eosdem sit inbabilis.* Cap.Gen.1641.

b. *Preces, & intercessiones Magnatum, aut quorumcumque Externorum, pro non discedendo ab aliqua Domo, vel in aliam migrando, aut pro quacumque re obtinenda apud Superiores adhibitæ, ita interdictæ sub pœnis à* Cap. Gen.1677. *statutis, vt etiam Commendatus illicò parere debeat, & apud Commendantes agere, quatenùs ab eiusmodi officijs in Obedientiæ perniciem abstineat.* Cap.Gen.1692.Vid.Can.pœn.c.13.

c. *Patronis, & Actoribus* Externis *vtentes in causis ad Religionis, aut etiam Prouinciarum, Domorumque Præpositos pertinentibus, si fuerint Sacerdotes, triennio Voce actiua, & passiua priuentur: si Clerici, triennio pariter ad vlteriores Ordines non promoueantur: si Operarij denique, per tres annos vltimum in Ordine suo locum habeant.* Cap. Gen.1686.

Ad 125. & 126. *Siquis cum Superiore irreuerenter, & de pari contenderit, vel rebellis fuerit, grauiori pœna damnatur.* Can.pœn.c.4.

2. *Siquis Superioribus obloquatur, seu cum illis contumeliosè agat, vel de ipsis diffamationes dicat, vel scribat, subeat pœnas expressas* in Cap. 11. Can. pœn.

Ad 131. *Ritus reddendi rationem conscientiæ præscribitur* in Cap. 5. P. 3. de Visitatoribus ad 374. a.

Ad 133. *Siquis, dato signo ad functiones communes, aut scholasticas, diligenter non accesserit, vel iniuncta sibi Officia negligenter præstiterit, mulctandus*. Can. pœn. c. 1.

2. *Sit idcircò vbique locorum Horarius, qui iuxta distributionem tabellæ horariæ singulis vicibus det signum campanula, vt omnes ad regulares functiones conueniant. Idemque videat, an aliquis desit sinè Superioris licentia, & aduocet. Horarij quoque est curare, vt lampas ardeat in Oratorio: eamque, completis Orationibus, extinguat: nec non libros, quibus vti solet Hebdomadarius, ibidem preparet, eosque custodiat*. Off. Hor.

Ad 137. *Vt suus cuique honor habeatur, Generalis ab omnibus, Prouinciales à suis Subditis, & Visitatores tempore Visitationis verbo, & scripto* Paternitatis *titulo cohonestentur: Rectores, & Sacerdotes solo titulo* Reuerentiæ: *Clerici autem, & Operarij simpliciter*

finè vllo titulo vocentur, & inscribantur. Ad aliquam verò distinctionem Generalis à reliquis, in literarum inscriptionibus addatur Noster, *ante proprium nomen*. Rit. c. 15. *Sed coram Generali nulli titulus* Paternitatis *tribuatur*. Rit.c.15.

a. *Ad Paupertatis, & Vniformitatis cultum, nisi series negotiorum aliter postulet, literæ ad Nostros, in dimidio folio, etiam Generali, scribantur*. Rit. c. 15.

b. *Subditus ad Superiorem scribens, initio Epistolæ ponat vocem* Benedicite: *sin autem æqualis ad æqualem*, Pax Christi. Rit.c.15.

c. *Quatenùs aliquis ad Generalem scribat, velitque soli communicatum secretum, in literarum inscriptione apponat,* Tibi Tantùm, *seu* T. T. Cap. Gen.1637.

d. *Nemo in literis, etiam ad Generalem datis, præter nomen, regulare cognomen, &, si Superior fuerit, Officium, vllo titulo vtatur*. Rit. c.15. & Cap.Gen.1637.

e. *Literæ Generalis, eius Assistentium, & Procuratoris Generalis à nullo, præterquàm ab eisdem, quibus inscribuntur, recludantur*. Cap. Gen. 1637.

f. *Vbi notandum, à Clemente VIII.*

26. Maii 1593. inter Casus reseruatos referri malitiosum impedimentum, retardationem, aut aperitionem literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores; quòd siquis eatenùs deliquerit, grauiori pœna plectendus. Can. pœn. c. 4.

g. *Singulæ Prouinciarum Domus tenentur quotannis Domui Professæ Romanæ pro literarum expensis*. Cap. Gen. 1665. *Propterea, ne quid grauaminis inferatur, sit eiusdem Procuratoris Generalis epistolas quascumque à tabellionibus acceptas, & numeratas in peculiari libello ab vnaquaque Domo datas connotare; ratasque pro illis cum cæteris contributionibus exigere.* *

h. *Item pro literis missiuis ad* Pro*uinciales contribuant pro rata singulis annis Domus Prouinciæ Prouincialium Residentiis*. Cap. Gen. 1692.

i. *Ad sumptus autem inanes tollendos, sedulò Rectores inquirant, & animaduertant in eos, qui literarum scripturitione inanes, & noxios quandoque rumores spargunt. Qua in re Constitutionis præscriptum* Par. 2. c. 2. & alibi *omninò seruetur*. Cap. Gen. 1671.

k. *Quoties autem necessitas postulat, potest quicumque liberè ad Præpositum Generalem scribere*. Reg. com. num. 31. & Const. P. 3. c. 4. ad 368.

l.

l. *Nullatenùs aut Gentilitiis, aut Secularium sigillis, vel mentitis nominibus vicissim dentur literæ; neque officiosæ, ad Paupertatis cultum, & otiositatem cauendam, scribantur.* *

m. *Sigilla Religionis circùm literis insignita Superioribus pro tempore tantùm permittuntur.* Cap. Gen. 1659. *Subditorum autem literæ, vel Rectorum sigillis, vel certè paruulis absque circumpositis characteribus obsignentur.* *

Ad 138. *Perrarò, & in grauioribus tantùm Casibus inferantur per Superiores præcepta formalia, quæ talia non esse declarantur, nisi* in virtute sanctæ Obedientiæ *exprimantur, nec non Censurarum inflictiones, aut comminationes; postremas autem ferendi facultas vni Generali, & Prouincialibus reseruatur.* * Cap. Gen. 1637.

a. *Grauiori pęna mulctatur, qui præcepto formali sibi, vel omnibus lato contradicit.* Can pœn.c.4.

b. *Itinerantes, qui sinè legitima causa, & facultate à recta in obeundis Obedientiæ mandatis declinauerint, arbitrio* Superiorum *plectuntur.* Cap. Gen. 1637. *Non secùs, qui ad Exteros diuertunt, vbi nostræ Domus existunt: & Superiores localei, qui Hospites nostros repellunt.* *

c. *Sinè Obedientialibus in scriptis*

de vna in aliã Domum vagari deprehensus, sequestretur ibidem, donec Generalis, aut Prouincialis monitus decernat quid cum eo agendum sit. Cap. Gen. 1627.

d. *Hospites autem subsint Rectori, apud quem diuertunt, ac si essent in ea Domo assignati.* Off. Recept. Hosp. n. 4.

De Castitate.

CAPVT III.

139. Castitas in Angelorum morem aspectu, incessu, totiusque corporis habitu colenda.

140. Infandum, si quo modo Castitatis virtus labefactetur.

141. Suborientes impuræ cogitationes, confestim ad petram allidantur.

142. Lubrici sermones, & quidquid Sæculi vanitatem redolet, oculorum præsertim licentia coercenda.

143. Quæcumque mulierum consuetudo, quanquam Propinquarum, vitanda.

144. Nostratibus mulieres alloquentibus à Superiore Deputatus assistat.

145. Quisquis ex necessitate Sæcularium Domos adierit, comitem à Superiore designatum senio, vel certè moribus grauem secum habeat.

146. A fæminarum colloquijs, & à Sæcularium Domibus Nostri se celeriter expediant.

147. Illicitum extra Domos nostras cibum, aut potum sumere.

148. Perinsignis Modestiæ, omniumque virtutum specimine cum discipulis agatur.

149. Nemo scholares absque Superioris facultate suis manibus verberet; nec vllo singulari affectu prosequatur.

150. Adolescentes, Nostratum disciplinæ commissi, per literas ad bonos mores modestissimè instituantur.

151. Gymnasticis exercitationibus absolutis, vnà Scholastici omnes dimittantur.

152. Discipuli ad proprias Domos ab omnibus, licet Confessarijs, associentur: quod etiam semel saltèm in hebdomadâ Superior præstabit.

NOTÆ.

Ad 139. Vitio, seu Casu aliquo contra Castitatem notati, quemadmodum quo-

mo-

*modocumque de quocumque delicto processati, & condemnati, euadunt ipso facto inhabiles ad Gradus Religionis in perpetuum: nec ad eos habilitantur, nisi per Capitulum Generale. * præter pœnas Votifragis inflictas*. Cap. 4. & 5. Can. pœn.

Ad 143. *Nulla à Nostris familiaritas cum mulieribus, quantumuis Propinquis, & honestis, contrahatur.* Reg. com. num. 8.

Ad 145. & 146. Vide 48. & ad 48. & ad 91.

Ad 147. *Nemo extra nostras Domos, etiam Consanguineorum, aut extra communem mensam comedat, aut bibat sine Superioris licentia.* Reg. com. n. 32. Vide 163.

Ad 152. *Discipuli, etiam à Prouincialibus, Visitatoribus, Assistentibus, & aliis quibuscumque Superioribus associandi commendantur.* Cap. Gen. 1641.

a. *Cæterùm inuiolatè seruari præcipit laudabile Institutum nostrum, præcipuè in vsu associandi pauperes pueros ad eorum Domos Alex. VII. in Const.* Dudum fel. rec. Paulus Papa V. *die* 24. *Ian.* 1656. *& Const.* Cum sicut. 28. *Apr.* 1660. *& Clem. IX. Const. reint.* Ex iniuncto. 23. *Octobris* 1669.

De

De alijs Medijs conseruandæ Castitatis.

CAPVT IV.

153. Per ieiunia, & voluntarias corporis afflictationes Castitatis virtus innouatur.

154. Diurnæ frugalitati moderatus quandoque ieiunij rigor accedat.

155. Præter solemnia Ecclesiæ ieiunia, per Aduentum, sextas ferias, septem festiuitatum Deiparæ peruigilia, & à festo S. Laurentij ante B. V. Assumptionem ieiunandum.

156. Feria sexta quisque pane tantùm, & aqua cum pulmento ad mensam vtatur: his arbitrio Superioris addi licet modicum vini: similiter in peruigilijs Deiparæ.

157. Si feria sexta, vel Sabbato festum occurrat cum præuio ieiunio; hoc ipso feriæ sextæ ieiunium compensetur.

158. Feria secunda carnium esus interdicitur, excepta secunda feria Paschatis, & Pentecostes: cum itinerantibus verò dispensare potest Generalis.

159.

159. Feria pariter quarta ieiunandum, nisi præcedat ieiunium feria tertia, permissis, vbi Generali videbitur, lacticinijs.

160. Cibus, & potus vbique Paupertatem, & simplicitatem sapiant.

161. Vinum, prefertim iunioribus, merum ne propinetur.

162. Pennata pro solis infirmis, & senioribus emantur; dono tamen obuenientia comedere licitum.

163. Abstineat quisque extra mensam esu, & potu absque Superioris indulto.

164. Omnes ad primam mensam accumbant: quòd siquis iusta de causa, cum Superioris consensu, non adfuerit, ad secundam statim accedat.

165. Mensam præcedat benedictio: & gratiarum actio, iuxta Ritum Ecclesiæ, subsequatur.

166. Singulæ tantùm mappulę singulis ad mensam sternantur.

167. Idem cibus, eadem portio, & idem ferculorum numerus vtrique mensæ: nec vllus quidquam singulare omninò habeat.

168. Prandium sit ex vno pulmento, ferculo quatuor vncias non excedente, &, Paupertate permittente, ex fructu aliquo, aut simili re instructum.

169. Solemnioribus festis, præter dapes consuetas, addi potest aliquid obsonij, simile portioni, Superioris arbitrio.

170. Habitâ senectutis, & imbecillitatis ratione, cæna sit tenuis, ad valitudinem.

171. Mensa condiatur sacrâ *lectione*; de qua in recreatione aliquid ad Superioris nutum recolatur.

172. Errores Lectoris ad mensam solus Superior, aut ab eo Deputatus corrigat.

173. Apud Sæculares, quantumuis Propinquos, licet ruri degentes, nemo sinè facultate, rarò, & in scriptis concedenda, comedat: rarò item Externi ad mensam excipiendi.

174. Semel saltèm in hebdomada cilicio; feria verò secunda, quarta, & sexta, ad carnis macerationem, flagellis vtendum.

NOTÆ.

Ad 155. *In priuilegijs septem solemnitatum Deiparæ Matris nostræ sint omnes vno pulmento ieiunali contenti.* Cap. Gen. 1637.

a. *Recurrente verò Annunciationis peruigilio feria secunda Paschatis, vel infra eius Octauam, eiusmodi ieiunium transferatur cum festo; ita vt ieiunium cadat in sabbatum in Albis, quatenùs*

An-

Annunciatio proxima secunda feria celebretur: tunc autem feria sexta ieiunio vacat. Cap. Gen. 1637.

b. *Ieiunium ante Virginis Matris Assumptionem inchoandum a festo Sancti Laurentij Martyris exclusiuè.* Cap. Gen. 1637.

Ad 156. *Ieiunio feriæ sextæ, in Constitutionibus præscripto per vnum ieiunale pulmentum, addi permittitur obsonium.* Cap. Gen. 1659.

Ad 157. *Sabbato, in quod ieiunium feriæ sextæ transferri contigerit, non liceat vti lacticinijs.* Cap. Gen. 1683.

a. *Quando transfertur feriæ sextæ ieiunium in sabbatum, in ea vti licet lacticinijs.* Cap. Gen. 1671.

Ad 158. *Itinerantes, iuxta consilium Euangelicum manducent, quæ apponuntur.* Cap. Gen. 1659.

Ad 159. *Feria quarta licet vti lacticinijs, cum moderata tamen abstinentia serotina.* Cap. Gen. 1686. *quæ quidem sit ad quantitatem ieiunio congruam, licet ex lacticinijs.* * Cap. Gen. 1665.

Ad 164. *Qui per negligentiam primæ mensæ non interfuerit, corrigendus.* Can. pœn. c. 1.

a. *In Collegiis grandioribus triplex mensa institui consueuit. Prima Conualescentium, qui ex Medici præscripto particularibus cibis vescuntur, per semi-*

mi-

miboram ante communem. Secunda, in qua Communitas discumbit. Tertia, in qua Ministri, & cæteri, qui communi non adfuerunt, sedent: vbique tamen vitanda ciborum in eadem mensa difformitas. * Reg. Off. Præf. Ref.

b. *Post absolutam primam mensam detur campanula per Lectorem signum secundæ; in qua etiam erit lectio eorundem librorum.* Rit. c. 9. n. 4.

c. *Sacerdotes autem, & Clerici, licet Nouitii, semper cum suis Clericalibus Biretis in mensa sedeant: neque vnquam detegant caput. Sed si* Superior *superueniat, seu recedat, omnes assurgant; & donec, vel ipse assederit, vel exierit, stent, & Lector interea sileat.* Ibid. n. 2. & 3.

Ad 167. Cum Nostris, postquàm per triduum saltèm iter egerint, circa Religionis ieiunia, & macerationes triduo dispensatur; & aliquid, pro discreto Superiorum arbitrio, præ cæteris ad victum indulgetur. Quòd si maiora fuerint itinera, vltra triduum prorogetur exemptio. Cap. Gen. 1637.

Ad 171. *Lectores ad mensam sunt omnes Clerici, & Sacerdotes, qui non sunt professi à septennio, & à triennio Sacerdotes: in Familiis autem minoribus commissum Superioris prudentiæ, qua-*

tenùs

tenùs omninò refectio non vacet lectione . Off. Lect.n.1.

a. *Cum ieiunatur, recreatio vespertina ad semihoram contrahitur* . Rit. c. 7.

Ad 173. Vide ad 147.

a. *Licentia extra Domum comedendi sufficit oretenùs impertita; quæ tamen perrarò, & viris tantùm probatæ virtutis, & exemplaritatis, nonnisi cum socio indulgeatur.* Capit.Gener.1659. *Si iunioribus, cum sene.* *

b. *Sub graui pœna vetitus cibus, & potus in tabernis, præterquàm in itinere : item extra Domos nostras pernoctare* . Cap.pœn.c.3.

Ad 174. Secunda, quarta, & sexta feria, nisi inciderit dies festus ex præcepto, aut consuetudine, fiet communis flagellatio, quæ vulgò dicitur Disciplina, *præmisso præambulo consueto, sicuti describitur in Synopsi Precum quotidianarum : & recitato* Psalmo, Miserere, *cum solitis Precibus ab Hebdomadario alternatim cum aliis, inuocata in fine intercessione Sancti, seu Sanctorum, quorum dies festus recolitur. Tempus verò huius flagellationis est : hyeme ante cœnam, post Orationem mentalem serotinam ; æstate verò post examen conscientiæ vespertinum* . Rit. c. 5.

a. *Circa iniunctum cilicii vsum semel*

*mel in hebdomada, inualuit Consuetudo, vt ab hora matutinæ surrectionis feriæ sextæ, in memoriam Passionis Dominicę, vsque ad primum signum prandii super nudo communiter circumferatur.**

De Paupertate.

CAPVT V.

175. Maximum Paupertati studium adhibeatur, vt firmiter in suo robore perseueret.

176. Quisque aliquem assertæ Paupertatis effectum, interdum experiri nitatur.

177. Tàm re, quàm nomine nihil cuiquam proprium sit.

178. Ad mendicandum ostiatim sint omnes parati.

179. Velit quisque in sui vsum vilissima quæque.

180. Nemo quidquam apud se, vel penes alium depositum habeat.

181. Nihil sinè Obedientia, mutuo, commodo, seu dono cuiquam detur.

182. Nullibi capsæ pro corrogandis eleemosynis exponantur.

183. Eleemosynæ vltroneæ, quæ, nonnisi vrgente necessitate, accipiantur,

tur, tradantur Oeconomo, seu Procuratori; qui sit ex Operarijs.

184. Sit penes Oeconomum liber dati, & accepti; cuius in singulas hebdomadas, menses, & annos summa referatur.

185. Peculiares pro Benefactoribus Preces iugiter effundantur.

186. Ex eleemosynis viuendum; necessaria tamen vnius anni Prouisio præueniri potest.

187. Asserimur incapaces possidendi Stabilia, & Ius pro illis in foro dicendi.

188. Pro Scholis reparandis necessarius aliquis census admitti potest penes Loci Communitatem.

189. Nemo, sub graui pœna, quemquam inducat, vt aliquid, quouis titulo, Religioni, aut cuiquam, etiam Propinquo, leget.

190. Ad Charitatem cum omnibus fouendam, à litibus cauendum.

191. Mobilia ne sint Paupertati contraria.

192. Nemo pro quoquam corroget eleemosynas; nec erogandas, etiam pro restitutionibus, accipiat sinè Obedientia.

193. Necessaria tantùm in cubiculis admittantur; nullæque sint imagines, nisi Sacræ, & chartaceæ: non

 horo-

horologia, non Reliquiaria, non libri curiosè ornati: & omnia i bidem sint aperta.

194. Cellarum latitudo decem palmi, longitudo duodecim: lectuli autem ad quatuor tantùm palmos lati: sitque in eis vna culcitra, & puluinar ex paleis, cum lodicibus laneis, pro temporum ratione, sinè linteis.

195. Cubicula singulis mensibus per Superiorem visitentur; indè amouendo quidquid Proprietatem, sordesque præseferat.

NOTÆ.

Ad 175. Assertæ Paupertatis rigor sedulò per Superiores foueatur, quamcumque pecuniæ retinendæ libertatem tollendo; perfectam Communitatem in victu, & vestitu solerti cura tuendo; Habitus Vniformitatem, & interiorum vestium Modestiam, *quoad colorem, & Humilitatem, curando; arcas clauibus obseratas prohibendo; cellasque semel saltèm in mense lustrando, & superflua, curiosaque amouendo; ita verò, vt Superiores, paternæ Charitatis memores, necessaria Subditis prouideant: nec Subditi Paupertatem exosi, plusquam Professio patitur, sibi velint prouisum.* Cap. Gen. 1677.

a. *Essentia Paupertatis nostræ declaratur ad formam Concil. Trid. c. 3. sess.25.de* Regul; *adeoque Religio capax in communi tantùm possidendi, ex Decr. Sac. Cong.Episcop. & Regul. confirmato per Innoc.XI.3.Sept.*1686.

Ad 176.*Ex Obedientia iter agentibus commeatus, & viaticum à Domibus, vndè proficiscuntur, vel iuxta probatas Prouinciarum Consuetudines, quamuis breui de Familia in aliqua Domo permanserint, per Superiorem discretè prouideatur, salua quidem* Paupertatis *ratione, sed firma etiam Charitatis regula.* * Ex Cap. Gen. 1637.

a. *Qui pedites ex infirmitate, seu virium imbecillitate nequeunt itinera obire, commodis Modestiæ, ac* Paupertati *omninò conuenientibus, ex discreto Superiorum prescripto, vtantur.* Cap. Gen. 1641.

b. *Seruandam etiam in itinere Paupertatem sanxit Alexander VII. Const.* Cum sicut.die 28. Apr. 1660.

c. *Item, in Paupertatis obsequium, liber nullus, quocumque modo acquisitus, à quopiam transferatur de Domo in Domum, nisi de Generalis, aut Prouincialis facultate in scriptis, semel saltèm obtenta.* * Cap.Gen. 1671.

d. *Superiores quoque, à Ministerijs absoluti, nihil, quod fuerit acquisitum*

 Domi-

Domibus, vnde discedunt, vllatenùs transferant, sub pœnis arbitrio Generalis, in primis autem subitæ restitutionis. Cap. Gen. 1637.

Ad 177. *Quisquis reus* Proprietatis *fuerit, eo ipso priuationem Vocis actiuę, & passiuæ, à Concil. Trid. Statutam c.* 2. *sess.* 25 *de Regul. incurrit; præterea bimestrem carcerem subeat; vel etiam diuturniorem, pro reatus grauitate.* Can. pœn. c. 6. Vide ad 175.

Ad 178. *Scholæ* Piæ *ne impediantur, quominùs eleemosynas pro suorum sustentatione ostiatim quærere, & accipere valeant, indulget Alex. VII. die* 24. *Ian.* 1656. *Const.* Dudum fæl.rec.Paulus Papa V.

a. *Cautum, ne Generali, aut Prouincialibus inconsultis, nouæ quæstuationes extra Diæcesim instituantur, ne Domorum vicissim tollantur emolumenta.**

Ad 180. *Solis itinerantibus permittitur in via vsus necessarius nummorum: quòd siquis aliqua donetur pecunia ex facultate Superioris, vel ea superfuerit ab itinere, penes Depositi capsam fideliter deponat: si secùs quis fecerit, grauiori pœna mulctetur.* Cap. Gen. 1637.

a. *Nullum tamen propterea Ius deponenti acquisitum super ea intelligatur,*

sed

sed Religioni, seu Communitati tantùm. Ex Decr. Clem. VIII.

b. *Proinde, siquis aliquam pecuniam quoquo modo acquisitam habeat, de Superioris consensu, penes Depositarium Domus, in eadem communi capsa confundendam, & incorporandam, sub secreto autem conseruandam, religiosè deponat, pro extraordinarÿs necessitatibus: nec indè quidquam extrahatur sinè Superioris facultate, iuxtà occurrentias, eidem Superiori simpliciter, toties, quoties, manifestandas; distinctè pariter notando in libro particularium depositorum Introitum, & Exitum; exprimendo etiam res, pro quibus à Superiore approbatis exponitur pecunia; vt omnis Administrationis ratio Visitatoribus reddi possit. Quòd siquis minùs fidelis in eiusmodi deposito faciendo deprehendatur, pœnas Proprietariorum, à Trident. statutas, & in Canonibus nostris pænalibus contentas, ipso facto subeat. Superiores autem monentur, ne vllatenùs, contrà Discretionis ordinem, ex eiusmodi depositis velint Subditis prouisum de interno, & externo vestitu, & eiusmodi regulariter necessarÿs; quemadmodum etiam de viaticis, quatenùs itinera pro seruitio Religionis ex Obedientia instituantur; sed ea omnia, non obstante particulari deposito, prouideantur ex communi Domorum æ-*

rario. *Subditis autem in aliam Domum ordinatis tradatur depositum, secum asportandum, & penes Depositarium, ad quem quis festinat, eadem ratione deponendum*.*

c. *Aliter nemo apud se, vel apud alium pecuniam, seu alia deposita habeat; neu mutuò dabit, vel accipiet; vel de bis, quæ apud se, vel Domi sunt, sinè Superioris licentia, dispensabit*. Reg. com. nu. 36.

d. *Norint autem Superiores, nullam habere Authoritatem circa facultates impertiendas alicui pro pecunijs indeterminatè apud se detinendis, vel Communitati non incorporandis*. *Clem. VIII.* c. Nullus. nu. 7. de Reg. Ref.

Ad 181. *Donariola, scholaribus, ad æmulationem in eis excitandam, dari consueta, Sacrarum Imaginum, Amuletorum, & similia, Paupertati tamen Religiosæ consentanea, permittuntur de Superioris consensu; imò ab eodem, si alids haberi nequeant, prouidenda*.*

Ad 183. *Nemo eleemosynam stipendij nomine petat; aut eo nomine oblatam accipiat; sed siquid mero eleemosynę nomine cuiquam offeratur, ad Oeconomum, seu Procuratorem Domus mittatur, vel ei tradatur*. Reg. com. nu. 36.

a. *Eleemosynas pro Missis oblatas* vide ad 71. a.

b.

b. *Munera quæcumque, quomodolibet alicui obuenientia, Superiori per accipientem oblata, in vsum communem adhibenda tradantur; nisi pro muneris tenuitate, seu ratione, Superior aliter Subdito permittendum putaret, iuxta Clem. VIII.* Decr. pro Ref. Reg. n. 7.

c. *Possunt in Oeconomos institui etiam Sacerdotes, eiusmodi Ministeriis ritè obeundis idonei.* Cap. Gen. 1637.

d. *Sublata Clericorum, & quorumcumque in Professorio existentium, in Oeconomos eligendorum facultas, ex Decr. Clem. X. præcipientis,* ne in negotijs Conuentus se intromittant; neque communibus tractatibus intersint; alijsque Officijs exterioribus occupentur.

e. *Erit autem Oeconomi, cum Oeconomiæ Deputatis, per singulos menses, iuxta Decreta Clementis VIII. de* Ref. Reg. nu. 13. *duobus saltèm Peritioribus coram Superiore summam dati, & accepti referre; curare quatenùs quotidie pro Benefactoribus* Preces *fundantur; redditus domesticos exigere, & exactos fideliter connotare; Debita soluere, & eiusmodi. Porrò nihil, sinè Superioris licentia, & seruatis seruandis, locet; nihil vendat; nullum Contractum ineat; in Iudicio non compareat; nullasque lites incipiat, seu transigat. Lites verò, ex necessitate inceptas, diligenter absoluat; Peritos con-*

sulat; remque omnem sinè turbis, & iurgijs peragat. Reg. Oeconomi per totum.

f. *Aduertendum, Regulis vtique nostris Oeconomum cum Procuratore confundi; ex quo autem Clementis VIII. Decretis, die 25. Iunij 1599. editis, non obstantibus Priuilegijs in contrarium, omninò parendum esse per Capitula Generalia* 1637. & 1692. *aliasque Ordinationes definitum est; quæcumque circa temporalem* Administrationem *Regulæ communes determinant, ita Oeconomiæ Officialibus accomodanda, ac distribuenda; vt inuiolabilis eorundem Clementis Decretorum vbiq; firmetur obseruantia. Quorum præscripto tres Oeconomiæ Ministri, Officiorum confusione penitùs interdicta, in singulis Domibus constituantur:* Procurator, *qui rerum, & Bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat: Depositarius, qui pecunias, & cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet: Oeconomus tandem, qui de rebus à Depositario acceptis, ipso Rectore mandante, non secundùm proprium affectum, sed iuxta Charitatis regulam, singulis prouideat. Clem. VIII.* c. Nullus. nu. 12.

g. *Quoniam autem* Procurator *localis debet publicam totius Familiæ fidem in exigendo, in locando, in vendendo,*

in litibus, & eiusmodi negotijs præstare, habeat à Vocalibus Procurationis mandatum, oportet. Eligendus itaque Capitulariter per secreta Vocem in illa Domo habentium suffragia, ex duobus à Rectore proponendis, ita ut exclusio primi, ordine Professionis propositi, sit inclusio secundi; cuius electionis, prout etiam Depositarij, & Oeconomi, à se nominandi, confirmationem à Generali, seu Prouincia*li, si delegatam ad id habeat facultatem, postulabit.* * Cap. Gen. 1659. *iuxta Decreta Clem. VIII. de Ref.*

h. *Methodus autem rationum, ab his tribus in singulos menses Locorũ Superioribus reddendarum, præscribitur ab eodem Clem. VIII.* c. Nullus. n. 13.

Ad 185. Vide ad 112. *pro Benefactoribus defunctis.*

Ad 190. *Legata, nimijs litibus inuoluta, non acceptentur.* Cap. Gen. 1641.

Ad 192. *Nemo sinè Superioris licentia expressa pro suis* Amicis*, Propinquis, vel Extraneis eleemosynam petat; nec oblatam pro pauperibus, aut restitutionibus faciendis accipiat.* Reg. com. n. 37.

Ad 193. Vide ad 121.

Ad 194. *Cellæ aliquantò latiores, pro senibus maximè; quæ tamen quindecim palmorum non excedant mensuram, possunt ædificari.* Cap. Gen. 1659.

De Vestibus.

CAPVT VI.

196. Sint vestes ex nigro, & rudi panno, munditiem cum Paupertate præseferentes.

197. Generalem consulant Prouinciales de vilioribus Regionum pannis, ex quibus vestes fiant.

198. Tunica talaris, vndique conclusa, ad pectus tantùm aperta, ligneis glandulis claudatur.

199. Pallium ex eodem, quo vestis, panno hominis genuflexi mensuram non prætereat.

200. Vestes interiores Paupertatem sapiant: & lanea sint indusia, & sudariola.

201. Bireto in modum Crucis efformato Sacerdotes, & Clerici; Operarij autem honesto galero caput operiant.

202. Calceis fenestratis pedes infra tibialia nudi reparentur; in Locis tamen frigidioribus potest, ad congruam anni partem, vdonum vsum Generalis indulgere.

203. Ad vestium munditiem, Ve-

stia-

ſtiarium de Rectorum ſolertia ſit ſupellectili neceſſaria refertum.

204. Supellex omnis, quæ non ſit alicui per Obedientiam vſui conceſſa, in communi Veſtiario cuſtodiatur.

205. Omnibus idem comæ, barbæque ſit modus, ac dies. Cæterùm barba, neque radenda, neque nutrienda: bis autem ad minus in ſingulos menſes Clericalis tonſura renouetur.

NOTÆ.

Ad 196. *Satagant Rectores, ne qua difformitas in Subditorum veſtitu appareat; ſed veſtes omnes eiuſdem ſint modi, qualitatis, & formæ.* Reg. Rect. n. 21.

a. *Super Habitu noſtro Regulari, etiã in itinere, nullum ſæculare indumentum à quoquam admittatur.* Cap. Gen. 1692. *Imò, leuiſſima licèt, quæcumque Habitus noſtri prohibetur immutatio per idem* Cap. Gen. 1692.

b. *Quòd* Gen. Cap. 1692. *Generali commiſerit, quatenùs pro ſua prudentia decerneret, vt ea, quæ pertinent ad veſtitum, vnicuique ſtatutis temporibus traderentur; viſum eſt ſolùm Superiorum in ea re conſcientias onerare; vt memores, tàm ex Charitate, quàm ex Iuſtitia ſe teneri Subditis, iuxta cuiuſque indi-*

gentiam, prouidere; satagant, nedùm honestè ab eis requisiti; verùm etiam semel saltèm in mense, in cubiculorum pręsertim Visitatione, solerter inuestigando, an aliquid cuiquam desit, conuenientia indumenta, opportunam supellectilem, & eiusmodi subministrare. *

Ad 198. *Vestes ante pectus ternis glandulis ligneis nigri coloris claudi consueuerunt: pallium simili glandula cum ligula nigra, non serica: qua pariter, sinè floccis, galerus præcingatur.* *

Ad 199. *Vestes internæ, tàm æstiuæ, quàm hybernæ, à communi Vestiario cuique ministrandæ, sint ex rudi panno, seu tela, albi, vel nigri, aut certè subobscuri coloris: non improbantur ex pellibus modesti coloris.* *

Ad 200. *Ad munditiem, & valetudinem, ob graues Instituti labores, indusia, femoralia, & sudariola linea, vel eiusmodi permittuntur; simplicissima tamen, & prorsùs absque floccis, & fimbrijs, & alio quocumque ornamento.* Cap. Gen. 1641. & 1659.

Ad 202. *Motu proprio Alexander* Papa *VIII.* 21. *Febr.* 1690. *præcipit, quatenùs vbique locorum Nostrates incedant calceati. Cuius Constitutionis obseruantiam, sub grauibus pœnis arbitrio Superiorum infligendis, circa tibialium, & calceorum formam ad vnguem, commen-*

dat

dat Cap. Gen. 1692. *Calcei autem sint nigri coloris, Humilitatem, & simplicitatem præseferentes, ac prorsùs sinè ocellis, & clausi; non alio, quàm coriaceo eiusdem coloris ligamine adstringendi, & prominentiori calcaneo carentes; idest, prout ab eodem Pontifice viuæ vocis oraculo declaratum, calcaneus supra extremam calcei soleam nullatenùs promineat.*

a. *Idem, tibialium formam in ea Constitutione præscribens, omninò lanea definit, nigri semper coloris. Quæ omnia respectiuè etiam in crepidis obseruentur.*

Ad 203. & 204. *Linea, & lanea supellex in communi* V*estiario seruetur.* Cap. Gen. 1683. Reg. Cust. Vest. n. 1.

b. *Cum quis ex Obedientiæ præscripto de vna in aliam Domum transfertur, sit benè, ac decenter de vestibus internis, & externis prouisus, quamuis breui in ea Domo permanserit; qua in re maximè inuigilent Prouinciales. Sit autem liber penes Vestiarium, in quo quidquid noui accipitur ab accipientibus manu propria connotetur.* *

Di

De Modestia, & Charitate.

CAPVT VII.

206. Omni cura quisque oculorum, incessus, habitudinis, & sermonis Modestiam tueatur.

207. Debita Magnatibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus adhibeatur obseruantia.

208. Ad parem Superioribus reuerentiam præstandam, quòd Christi vices gerant, eos quisque genuflexus alloquatur.

209. Se omnes vicissim revereantur; & prorsùs à murmurationibus, à facetis, scurrilibus, mordacibus, immodestis, pungentibus, contentiosis, elatis, & effusis verbis abstineant.

210. Ne sint curiosi rerum, quæ in sæculo fiunt, vel in Domibus nostris occurrunt: neque, nisi ex Officio, alter alterum mortificet.

211. Proprio quisq; religioso tantùm nomine, nunquam per diminutionem in contemptum appelletur: Superiores ab Officio decet nominari.

212. Imperturbata vbiqueConcordia, & Charitas Superioris industria foueantur.

213. Graui pœna dignus, domestica Externis aperiens.

214. Suborientes literariæ, & eiusmodi contentiones, illicò à Superiore componantur.

215. Sinè Generalis Indulto nihil typis mandetur; idque fiat sinè Authoris fuco.

216. Factionibus nulla ratione adhærendum; sed omnes, licèt inuicem aduersantes, in Domino complectamur.

NOTÆ.

Ad 206. Aspectu, incessu, sermone, totiusque corporis forma ita quisque se componat, vt Angelorum puritatem imitari videatur: caueatque, ne mors per oculorum fenestras ingrediatur; quæ quidem, non tantùm in sermone, & Modestia, sed etiam in modo loquendi seruanda; cauendo maximè à verbis, quæ dissolutionem præseferunt. Reg. Mod. nu. 1. & 2.

a. *Quisquis in Ecclesia, Oratorio, aliisque locis publicis, vagis oculis, & motu aliquo irreligioso leuitatem ostenderit, corrigendus.* Can. pœn. c. 1.

b. *Ad publica bacchantium spectacula, & alia profana ne quis accedat.* *.

Ad 207. Prælati S. Romanæ Ecclesiæ,

Prin-

Principes sæculares, ac Superiores Religionis, & respectiuè quæcumque Dignitate præditæ Personæ debito donentur obsequio. Reg. Mod. n.4.

Ad 208. *Canon Constitutionis de alloquendo, flexis genibus, Superiores intelligendus de Iunioribus tempore Iunioratus; ità verò, vt reliqui etiam in recognitione noui Superioris, ac Visitatoris accedentis, seu recedentis; quemadmodum in petenda pro exitu, & reditu benedictione, & eiusmodi præstandæ Obedientiæ actibus omnes pariter genuflectant: quo sensu declaratur ea ratio, quam Personarum in ea re habendam decreuit* Cap. Gen. 1659. ✝

Ad 209. *Omnes se inuicem venerentur, & reuerenter alloquantur: nec vllus quemquam, nisi ex Officio, mortificet; nec contentiosè agat, aut in collocutionibus vocem extollat; neque alios fictis, & iocosis nominibus, aut cognominibus appellet.* Reg. Mod. & Cap. Gen. 1659.

a. *Grauis culpa censeatur, immodestè cum aliquo, vel maximè cum Sæcularibus contendere, vel rixari; adeoque graui pœna dignum.* Can. pœn. c. 13.

b. *Dissolutè cachinnantes, & loquendo, alios ad risum concitantes aduertendi.* Can. pœn. c. 2.

c. *Siquis de victu, aut vestitu, etiam leuiter conqueratur; vel debitam omnibus*

bus, præsertim Superioribus, reuerentiam non exhibeat, reus pœnæ. Can. pœn. c. 1.

Ad 210. Vide ad 137.

Ad 211. *Nostrates, non ex cognomine Gentilitio, sed ex nomine alicuius Sancti denominantur, Alex. VII.* 28. *Apr.* 1660. *Const.* Cum sicut.

2. *Alicui ex Nostris, aut Externis probrum, vel nomenclaturam, quæ in derisum cadat, dicentes, aut scribentes; mendacium proferentes; iuramenta otiosa vsurpantes; præteritas, & emendatas alicui culpas improperantes; alicui detrahentes; in cellulis nocturno tempore colloquentes, graui pœna damnantur.* Can. pœn. c.3.

Ad 213. Vide ad 137.

2. *Nemo de his, quæ Domi, aut inter Sodales aguntur, nisi sint ad ædificationem, cum Sæcularibus tractet.* Reg. com. n. 30.

Ad 215. *Licentia quidquam imprimendi nulli concedatur, quin priùs duorum ex doctoribus in ea re Opus censuram, & approbationem subierit.* Cap. Gen. 1641. & Reg. com. nú. 39. *Nemo autem typis aliquid mandare audeat, sinè approbatione* Examinatorum, *& consensu Generalis*. Ibid.

De

De Gymnasijs, seu Scholis Pijs fundandis.

CAPVT VIII.

217. Ab vna Scholarum Piarum sedulitate, ad Reipub. reformationem, sua capiet incrementa Religio.

218. Plures Domus non admittantur, quibus nequeat satis de Ministris idoneis fieri.

219. Ad nouas Fundationes non procedatur, antequàm aliæ perficiantur.

220. Pro nouis Fundationibus Ecclesiam in primis, supellectilem necessariam; Bibliothecam, & Hortum contiguum præparentFundatores:eiusmodi autem Stabilium Ius Sedi Apostolicæ deuoluatur.

221. Ædificiorum formæ, ad Paupertatem cum simplicitate seruandam, priùs à Generali examinentur.

222. Ad Regularis obseruantiæ stabilitatem, duodecim saltèm in singulis Domibus commorentur: super quo, nisi vrgens necessitas accedat, Generalis non dispenset.

223. Sine Generalis Decreto, consultis Assistentibus, alijsque sibi benè visis, nulla dimittatur Fundatio.

224. Interdictum Seminariorum, & Sæcularium Conuictorum Regimen.

NOTÆ.

Ad 217. Vide ad 1. per totum.

2. *Prohibemur in districtu viginti milliariorum ab Vrbe vllum Locum, in quo Scholæ Piæ non sunt, Domibus* Nouitiorum *exceptis, habere. Paulus V. Const.* Ad ea, per quæ, &c. 6. *Martij* 1617.

Ad 219. *Nulla, sinè Generalis cum Assistentibus facultate, noua Fundatio suscipiatur.* Cap. Gen. 1659. & 1692.

2. *Pro tractatibus nouarum Fundationum promouendis, nisi aliunde suppetentur expensæ, Domus Prouinciæ, in qua Fundatio instituenda est, habita facultatum ratione, ad* Prouincialis, *de Assistentium suorum Consilio, præscriptum, contribuant. Cæterùm pro Fundationibus extra Prouinciarum limites ea contributio à Generali statuatur.* *

Ad 220. *Curandum, vt qui Fundatione aliquã Religionis nostræ postulant, prius parent necessaria.* Reg. Prou. n. Vide ad 48.

2. *Qui Scholas Pias erigi, & institui*

tui alicubi petūnt, annuos redditus, aut præstationes, quibus decenter alantur, & sustententur, erogent. Cap. Gen. 1641. *& Alex. VII. Const.* Dudum. *die* 24. *Ianuarij* 1656.

b. *Super alimentis Fundationum non aliud onus, quàm Institutum accepteтur; nisi Generalis cum sibi Assistentibus accedat Authoritas. Quòd si Fundatores ex integro velint onera Missarum imponere, vnum quotidianum possit admitti.* Cap. Gen. 1641.

c. *De supellectili autem* vide ad 203.

d. *Bibliothecæ quotannis per Locorum Superiores libris Instituto accommodis cumulentur: & in Visitationibus de huius Decreti obseruantia inquiratur.* Cap. Gen. 1683.

e. *Quatenùs ob angustiam loci hortus haberi nequeat proximus Collegio, ad honestam animorum remissionem, si fieri potest, habeatur in vicinia.* Cap. Gen. 1659.

f. *Porrò meminerint Superiores Locorum, sub pœna trimestris Suspensionis ab Officio, ipso facto incurrenda, ne plantas vllas fructiferas succidi patiantur; reliqui verò bimestris mortificationis, iuxta* Can. pœn. c. 12.

Ad 221. *Nouarum Domorum, & Ecclesiarum delineationes in primis à Genera--*

nerali cum sibi Assistentibus probandæ: nec aliquid supra sumptum decem aureorum in earum ædificijs, absque Prouincialium saltèm facultate, innouandum. Cap. Gen. 1637. & 1659.

a. *Quoties noua alicuius Fundationis occasio se prębeat, Scholæ ab Ædibus Religiosorum ita separentur, vt studiosi has non valeant pro libito peruadere.* Cap. Gen. 1627.

Ad 222. *Domus necessarijs ad viuendum carentes, pro congruo Personarum numero, & Regulari obseruantia, dimittendæ.* Cap. Gen. 1641.

Ad 224. *Seminaria, in quibus regendis* Regularis *disciplina potest conseruari, posse permitti declarat.* Cap. Gen. 1637. *Erunt autem eiusmodi, si formam Collegij Nazareni de Vrbe, seu Lauretani Nicolspurgensis in Morauia imitentur.* Cap. Gen. 1659. *Plura referuntur in Notis* P. 1. c. 4. ad 45. &c. *quæ his consentiunt.*

De

De Gubernatione Gymnasiorum, siue Scholarum Piarum.

CAPVT IX.

225. Idem sit vbique Domorum regendarum tenor.

226. Sint Rectores Mortificatione, Obedientia, Humilitate, rerum Peritia, Discretione, atque Prudentia probati: qui sciant opportunè Benignitatem cum Seueritate miscere; vt eis tutò valeat Generalis ipse, quando sibi videbitur, Authoritatem suam concredere.

227. Rectorum est, quasi proprijs humeris, Oratione, pijsque desiderijs Domum, & Scholas sustinere.

228. Eorundem erit à Subditis Obseruantiam exigere, & scholarium disciplinam tueri.

229. Subditorum incolumitati paternè studeant, quatenùs ipsos à noxijs arceant, & ad spiritualem, & literariam frugem adducant.

230. Omnium Officijs attendant; vt solertes confirmare, desides amouere valeant.

231. Satagant, vt idoneos domesticis Muneribus, Scholis præsertim docendis, habeant Ministros: quos frequentiùs visitando, quomodò se gerant in sibi commissis, explorent.

232. Tempus durationis huiusmodi Ministrorum, qui domesticis, & scholasticis destinati fuerint Officijs, citra, vel vltra triennium in Domibus, sit penes Generalis, seu Prouincialis arbitrium.

233. Sit vbique Domorum talis adolescentium Confessarius, qui paterna Charitate, ac Benignitate ad Dei amorem eos alliciat.

234. Designetur in singulis Domibus Præfectus Orationis continuæ, à decem, vel duodecim discipulis per ordinem manè, & vespere scholasticis horis faciendæ pro Fidei Catholicæ propagatione, hæresum extirpatione, Principum Catholicorum Concordia, & pro Religionis incremento: qui etiam facili methodo pueros ad confitendum, communicandum, & orandum, pro captu, instituat.

235. Vbique suus domesticis, & literarijs rebus agendis tempus, & ordo sit.

236. Ad signa Communitatis, nulla interposita mora, conuolandum.

237. Pro vario discipulorum nume-

mero, & captu varij ſint pariter Præceptores.

238. Noui diſcipuli, præuio examine, in ſuas claſſes docendi, Magiſtris diſtribuantur.

239. Bis in anno generale ſcholaſticorum examen, pro gradu ad claſſes maiores faciendo, inſtituatur.

240. Citiùs Pauperum Inſtitutio expediatur, qui diutiùs in Scholis eſſe non poſſunt; vt characteres, & numeros docti, ſibi neceſſaria faciliùs acquirant.

241. Sit in Scholis librorum delectus, ad Pietatis, & morum Inſtitutionem.

242. Non modò pueri quotidie Sacram Cathecheſim addiſcant; ſed etiam Præceptores ſtatuto per hebdomadam die eam doceant, explicando; publicèque per feſtos dies in eadem ſcholares exerceantur.

243. Nihil verbo, vel facto diſſonum à Pietate, & Modeſtia in Scholis permittatur.

244. Quacumque occaſione curent Magiſtri benignè ſuos auditores ad virtutis amorem, & cultum adducere.

245. Initio Scholarum Preces de more præmittantur, flexis genibus, ante Sacram Imaginem, Præceptoribus cum diſcipulis orantibus.

246. Adolescentes, à morum, seu Studiorum neglectu per verba non resipiscentes, ad Rectoris nutum à Correctore mulctentur.

NOTÆ.

Ad 225. *Rectorum in primis Muneris est Vniformitatem in omnibus custodire.* Reg. Rect. n. 21.

a. *Ministri locales pridem ex Consuetudine cœperunt appellari* Rectores; *subinde in Regulis communibus*, à Cap. Gen. 1665. *confirmatis*.

Ad 226. *Quoniam electio Superiorum ab exactis Muneribus metienda; nihilo; magis prodest Candidato ad sequendos honores, quàm peractum optimè Magisterium; censendi sunt incapaces cuiusque Gradus in Religione, qui priùs laudabiliter Institutum Scholarum Piarum per plures annos non exercuerint.* Propterea *cauetur, ne quis in Superiorem eligatur, nisi benè instructus, & eruditus*. Cap. Gen. 1659. & 1671.

a. *In Casibus tantùm grauioribus, aut grauissimis, tàm expressis, quàm reducibilibus ad Canones nostros pœnales,* Processus *fiant à Rectoribus: de factis autem, statim* Prouincialis *informetur.* * Cap. Gen. 1637.

b. *Precipitur sub pœna ipso facto*

 incur-

*incurrenda priuationis vtriusque Vocis omnibus, & singulis Rectoribus, ac Superioribus localibus, vt intra quindecim dies, à publicatis Successorum suorum Patentibus ad summum computandis, consignent per se, vel si fortè debeant ex Obedientia citiùs discedere, per aliquem à se Deputatum eisdem Successoribus res, ac documenta omnia, ad Archiua, Administrationem, Domorumque statum pertinentia, cum subscriptis à se, duorumque Antiquiorum, vel Peritiorum ipsius Familiæ fide roboratis, rerum omnium sacrarum, ac domesticarum, etiam Archiui inuentarijs, nec non statu Domus, & libris Sacrarij, atque Oeconomiæ. Quilibet autem Successor de integrè sibi facta eiusmodi consignatione testimonium à se subscriptum, iuxta rei veritatem, Prædecessori suo tradere teneatur.** * Ex Cap. Gen. 1641. & 1671. Vide ad 350.

c. *Quam quidem rerum omnium consignationem, cum statu Domus relicto ab Antecessore, Successor in proxima Visitatione, seu Capitulo Prouinciali, si illa non intercesserit, proponat; vt indè ratio Regiminis appareat.* *

d. *Rector egressurus Domo, in qua Prouincialis degit, ab eo solitam benedictionem petat.* Cap. Gen. 1671. *

e. *Tenetur quisque Rector circa ferias*

rias autumnales quotannis Prouincialem de Casibus insignioribus suæ Domus informare ; quemadmodum respectiuè Prouincialis Generalem . Capit. Gen. 1671. Vide ad 367.

f. *De Subditis in aliam Domum à Rectore non transmittendis* vide ad 245. e.

g. *Siquis Rectorum , relicta Domo , cui præpositus est , sinè Prouincialis licentia aliò diuertat , Domo per mensem non exeat* . Cap. Gen. 1692.

h. *Quòd si abesse à sua Domo debeat ex aliqua vrgenti necessitate , id fiat solùm ad breue tempus*.Cap.Gē.1677.*statimque Prouincialis certior fiat* . *

i. *Ita sedulò Rector , aut Vicerector Domum custodiat , vt alteruter omninò præsens existat* . Cap. Gen. 1692.

k. *Rectores , qui annuas contributiones , quæcumque fuerint , ad festa Natiuitatis Dominicæ integrè non persoluerint, suspenduntur ab Officio, quandiu non satisfecerint* . Cap. Gen. 1692. Vide ad 331.

Ad 227. *Rectores , quanquam habeant Correctorem, seu Præfectum Scholarum, alijs rebus posthabitis , frequentem per se circa Scholas curam impendant* . Cap. Gen. 1637.

a. *Nullibi Scholæ supra susceptas in Fundationibus multiplicentur , nisi*

priùs accedat Generalis in Italia, Provincialis extra Italiam consensus. * Cap. Gen. 1659.

Ad 228. *Rectorum solertiæ commissum, vt eadem vbique doctrina, modus idem in Domorum suarum Scholis studiosè seruetur.* Reg. Rect. n. 12.

a. *Propterea Rectores, & Superiores quicumq; Regularis obseruantiæ iuxta Constitutiones, & Generalia Decreta, quæ vigent, zelatores declarantur.* Cap. Gen. 1659. Vide pag. 33.

Ad 229. Vide ad 221.

Ad 230. Vide Const. P. 3. cap. 4. ad 366.

Ad 231. *Rectores in proprijs Domibus Officiales minores, pro arbitrio, & prudentia, instituunt.* Reg. Rect. nu. 16. Vide quos P. 3. c. 4. Const. n. 366.

a. *In primis verò solertia Rectorum luculenter exploratam habeat Magistrorum capacitatem; vt Generalem, seu Prouincialem informent, non solùm cum primò Scholis docendis dedicandi; sed etiam cum ab inferiori ad superiorem classem instituendam promouendi.* Ex Cap. Gen. 1637.

b. *Tempore Scholarum Magistri nullos ad colloquia in Gymnasium admittant; neque à Schola, pro Sæcularibus audiendis vllo modo egrediantur.* *

Ad 232. *Ita Rectorum, quemadmodum*

dum

dum Prouincialium durationi nullum determinati temporis spatium praescribit nostra Constitutio; immò ipsas Subditorum, citra, vel vltra triennium, mutationes, Generalis, seu Prouincialis arbitrio penitùs relinquit. De Familijs verò primi, & secundi Nouitiatus vide ad 26. a. b.

De Personis immediatè à Generali in aliqua Domo collocatis vide ad 353. b. *De transmittendis in aliam Prouinciam* vide ad 345. e. *De tempore disponendi Familias* vide ad 353. & Const. n. 363. *

Ad 233. *Confessarius scholasticorum prouectioris erit aetatis, &, si fieri potest, senex*. Reg. Conf. n. 3.

Ad 234. *Cautum, ne vllatenùs Oratio continua, fieri solita per scholares, omittatur*. Cap. Gen. 1637.

a. *Eiusmodi autem Oratio haberi consueuit coram* Augustissimo *Eucharistiae Sacramento, seu in Scholarum Oratorio tempore scholasticarum exercitationum, tàm de mane, quàm de sero, per Orationis continuae Praefectum, binis in gyro conuocatis adolescentibus, ex denis, vel duodenis, ad orandum*. *

b. *In primis autem paruuli erudiantur, quatenùs debeant genuflectere, orare, actusque praesertim Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis elicere. Ibi*

 etiam

etiam Deiparæ Rosarium, vel Officium, seu septem Psalmos *Pœnitentiales, vel Graduales, & eiusmodi attentè, ac deuotè recitare doceantur. Concludant autem semihoram, vel aliud apportunius orandi spatium, cum* Litanijs *B.V. vel Sanctorum, alternatim dictis, & semper in fine* Antiphona: Sub tuum præsidium. *

c. *Pertinet etiam ad Orationis continuæ Præfectum Officium Catechistæ; cuius est adolescentes ad morum innocentiam sedulò promouere, præsertim per Institutiones ad ritè confitendum, & communicandum; quod dietim per classes, captata consultò opportunitate ab Orationis continuæ directione, fiat: eòque solertiùs, quò vtiliùs, etiam per filiorum disciplinam, sæpè Parentes docentur.*

Ad 235. Ad *æmulationem, quæ in adolescentibus multùm valet, acuendam, singulis semestribus bis in anno æmulorum cum æmulis conferatur diligentia, declarando victores, & victos in singulis classibus coram Patribus Familiæ, & alijs, Superiori benè visis; conuocatis præsertim in* Aulam Scholarum *cæterarum classium Ordinibus: vbi per laudes triumphantium, & munuscula, virtutis acquirendæ ardor succendatur. Tempus autem eiusmodi scholastici exerci-*

ercitij sit circa semestre scholasticorum examen : vnde præsens occasio Magistris ingenij sui talentum in opportunis lucubrationibus exercendi ; quod etiam fieri potest, ad maius Pietatis, & eruditionis incrementum, inter Actus academicos de Sanctis Locorum, seu Scholarum Patronis, vel alias in eiusmodi Actorum *coronidem, si mos ferat.* *

a. *Est autem Rectorum attendere, vt Scholastici Nostri* Actibus *literarijs temporibus præscriptis exerceantur.* Reg. Rect. nu. 13. Vide ad 252. ii. ll. mm. nn. *Porrò meminerint Dramata, siuè* Actus *comicos, & similes in Ecclesia prohiberi; alibi verò rarissimè, nec nisi honestissima, & priùs examinata, & obtenta in scriptis Generalis facultate, seu Prouincialis ex Delegatione.** Cap. Gen. 1659. Rit. c. 2. n. 8. *Quin* Actus *nullus literarius publicè à quoquam exhibeatur, antequàm Superioris, aut alterius ab eo Deputati censuram subierit. Habeatur præterea vbique ab aliquo per Rectorem* Deputando *in Studiorum Instauratione Oratio ad eadem auspicanda.* *

Ad 236. Ad omnia signa Communitatis, tanquam ad nutus Obedientiæ, concurrendum. Signa verò Scholarum,

ad ædificationem, ita præuenienda, vt antequàm labatur semihora, inter primum, & secundum consueta, in sua quisque Schola consistat; vt ad primū secundi signi tinnitum, pro scholasticarum exercitationum principio, solitæ etiam Preces per Magistros incipiantur. * *Quas quidem Preces, non modò audiant Magistri, sed simul etiam recitent.* Reg. Mag. nu. 1.

a. *Curabit ergo Præfectus primum Scholarū signum dari iuxta distributionem horariam, campanam quadrāte circiter pulsando: à quo signo ad alterum semihora intercedat. Idem interea Præfectus attendat, vt discipuli modestè se gerant in suis classibus, donec Magistri accedant: ad quorum præscriptum adolescentes promant ex memoria lectiones Decurionibus; qui singulorum errores, scripto notatos, dabunt Magistris, pro diligentiæ, seu negligentiæ punctis, vnicuique pro merito statuendis. Imò, ad fraudes adolescentulorum auertendas, & ad memoriæ periculum, ab aliquibus discipulorum inopinatò lectiones memoriter exigantur.* Rit. c. 12.

b. *Scholæ duarum horarum cum dimidia spatio, tàm de mane, quàm de sero, non plùs, nec minùs, concludantur: diebus tamen Vacationis à prandio, semi*

hora

hora detrahitur. Rit. c.12. *Quod etiam singulis Sabbatis adVesperas fit proConcione ad omnes discipulos, à Scholarum Præfecto, seu aliquo Deputato per Rectorem, ante Litanias Lauretanas habenda de more*. *

c. *Nec vltimo solùm quadrante scholastico Magistri aliquid ad Pietatem pueris explicent*. Rit. c. 12. *Verùm etiam, vt Scholæ nostræ verè* Piæ *sint, quæcumque adhibeantur, & excogitentur à Magistris industriæ, vt nihil sale* Pietatis *inconditum doceant auditores. In classe itaque legentium, ex ijs, quæ pueri legunt, ansam ad actus virtutum suggerendos per opportunas similitudines, parabolas, comparationes, & exempla, pro captu, nanciscantur. Item in classe scribentium: satagendo etiam, quatenùs exēplaria, characteribus efformandis proposita, sacrum aliquod, seu morale complectantur affatum, ad virtutis amorem, seu vitij alicuius nauseam; quod, per scripturitionem repetitum, altiùs adolescentulorum animis inhæreat: quod etiam fructuosiùs fiet, si paucula sint carmina; natura quippe ad numeros ducimur; & rythmos faciliùs pueri recordantur. In classe* Rudimen*tistarum, nomina, verba, & signa ita proponantur, vt facilis pariter Pietatis promouendæ occasio porrigatur*.

d. *In reliquis altioribus classibus quidquid explicatur, quidquid pro lucubrationibus prescribitur, virtutis præferat documenta. Operosi, & industrij* Præceptoris *erit in primis, vt Oratorum, & Poetarum dicteria in pias interpretationes deflectat.*

e. *Siue ergo Grammatici, siue Poetici, aut Rhetorici canones tradantur, eò colliment exercitamenta, vt Pietas promoueatur, vitium aboleatur. Ea sit veri Scholarum Piarum Magistri cura, ea tanti Muneris explendi sedulitas, vt Pietatis vehiculum literaria sit Institutio.* *

f. *Subinde sæpè Præfectus, & sæpè Rector videat, ne, quæ à Magistris dictantur, aliquid sapiant inconueniens. Ideò sæpè Scholas visitet, intuendo etiam, an Magistri, & discipuli ritè suo Munere fungantur.* Reg. Præf. n. 11.

g. *Prout autem in Scholarum initio tanti est ad signa campanulæ solertia; ita, dato signo, fiat in dimittendis.*

h. *Statim itaque, solitis Precibus persolutis, Magistri singuli discipulos ex ordine binos secundum classes, cum Modestia, & silentio è Scholis egredientes, comitentur in Ecclesiam, de mane ad* Sacrum *audiendum, de sero ad Litanias B. V. cantu plano, deuoto, ac suaui, Præfecto assistente, decantandas; vt in-*

dè

dè pariter per classes ordinatim, & sinè strepitu dimittantur, à maioribus ad minimos, gradatim in dimissione procedendo; tempestiuè autem parati sint, qui debebunt ex ordine scholasticos comitari. Rit. c. 12. & Reg. Mag. n.7.

i. *Quòd præter sedulam* Pietatis *Institutionem, bonos quoque mores, & vrbanitatem Nostrates in Scholis profiteãtur; non modò verbo, sed factis etiam doceant. Venientibus itaque, ac redeuntibus Rectore, aut Præfecto, Magistri cum discipulis, aperto capite, assurgant; neque, nisi ad eorum nutum, sedeant. Quòd si Prouincialis, aut Visitator superuenerit, Magistri, statim occursuri, è cathedris descendant.* Rit. c. 12.

Ad 237. *Absoluto Studiorum curriculo, Clerici, seu nouelli Sacerdotes ità Scholis docendis addicantur, vt per annum saltèm infimis classibus gradatim applicentur, ascendendo à classe legentium, & scribentium, ac numerantium ad Rudimentistas; indè ad Grammaticos, ad Poetas, & Humanistas; neque, nisi Præpositi Generalis, aut Prouincialis Dispensatio accedat, hic ordo prætermittatur, aut quispiam ad Rhetoricam, Philosophiam, vel ad Moralem, siuè scholasticam Theologiam profitẽdum valeat promoueri, qui priùs prædictos inferiores gradus annuatim non ascenderit.* ✝

a. *Magistri, qui primò ad Scholas docendas, vel ad superiorem ab inferiori classe promouentur, antea examinentur.* Cap.Gen.1637.

b. *Magistri, & alij quicumque petere quidquam à scholaribus, vel eorum Propinquis prohibentur; gratis enim ex Voto Scholæ Piæ exercendæ.* Cap.Gen. 1637.

c. *Magistros in singulis classibus assignat Prouincialis.* Reg. Prou. nu.8.

d. *Singulæ autem Scholæ, ad quas numerosi confluunt auditores, non plures, quàm duas classes doceant, ad confusiones tollendas: & ea sit Magistrorum solertia, vt (postquàm communiter aliquid, ad piam auditorum Institutionem, de Christiana Catechesi ab eorum memoria exegerint; & monitum aliquod super ea, pro morum politie, breuiter protulerint, iuxta* C.Gen.1637.) *dum vnam classem docent, alteram teneant in componendo, vel traducendo, vel emendatas lucubrationes rescribendo, vel, ad æmulationem acuendam, extemporaneum aliquod argumentum, vel quid simile opportunè perficiendo ritè occupatam.* *

e. *Non solùm attendant Magistri, vt Scholarum suarum alumni secundùm regulas ritè componant; sed etiam omninò, vt characteribus graphicè, & ortho-*

tho-

thographicè formatis scribant ; satagendo, quatenùs, ad manum confirmandam, & æqualitatem in scribendo seruandam, in papyro lineis obsignata, seu potiùs suffulta, præsertim adolescentiores, rescribant lucubrationes, relicto margine pro correctionibus. *

f. *Earum autem emendationes manu intelligibili Præceptorum fiant: qui, si ob discipulorum copiam nequeant omnes ex integro castigare, partem saltèm aliquam, commissa æmulis aliorum errorum indagine, manu sua à mendis vindicent; aduertendo, vt adolescentes lucubrationis pictacium semper faciant, in quo attentiùs ea, quæ componunt, perpoliant.* *

g. *Authorum interpretationes hac lege fiant in Scholis. Magister primò, auditoribus è libro attendentibus, eam partem, quam intendit explicare, prælegat: mox Authoris mentem, & rationes aperiat; & ad aliquam piam directionem deflectat. Indè periodum primam relegat, construat, vertat. Tandem in caput rediens, iterùm periodatim explicet, attendendo notata grammatica, si Grammaticæ classim doceat; rhetorica, si Rhetoricæ; narrando historias, indicando argumenta, & formas dicendi elegantiores. Quibus expeditis, explicationem ab aliquo repetat. Postremò, vt*

omnes

omnes scripto traducant, si Grammatistæ; recenseant autem notabilia, si Humanistæ, vel Rhetores, præcipiat. *

h. *In Infimis item classibus, dum classis vna coram Magistro legit, altera studeat Lectioni, vel scribat: dum alterius corriguntur characteres, altera pariter occupetur.*

i. *Conducet autem plurimùm ad ordinem, & puerorum profectum, si classes ex eodem singulæ libro legant; vt cum vnus legit, cæteri attendentes actu legentem, corrigendo, vberiùs exerceantur.* *

k. *Magistri ne propriæ doctrinæ studeant ostentandæ in docendo; sed omnia omnibus facti, res, & verba puerorum capacitati consentanea ita proponant, vt optimi Magistri laudem in eo versari meminerint, si auditorum captui se sciant accommodare.* *

l. *Nemini autem liceat in Sæcularium ædibus vllatenùs adolescentes priuatim docere, nisi Generalis facultas priùs accedat.* Cap. Gen. 1671. *Idem de Lectionibus particularibus in Schola, tempore Scholę, alio quocumque tempore, vel in alijs quibuscumque locis intelligendum.* *

Ad 238. Præfectus nouum aliquem adolescentem ad Scholas aduentantem summa Charitate excipiat. Pueros disci-

ſciplinæ incapaces, & morbis contagioſis infectos, tùm etiam ad nauſeam cæterorum ſordidos non admittat, donec, vel conualuerint, vel, ad pauperum honeſtatem, decentiùs compareant. Cap. Gen. 1659. *Cæterùm apti ad prima elementa, ſi Scholarum capacitas ferat, non excludendi. Alex. VII. 28. April. ann.* 1660. *Conſt.* Cum ſicut.

a. *De Scholis, & claſſibus, quibus antea ſtuduerint, interroget: de Parentibus, & eorum domo ſciſcitetur, vt vitentur inconuenientia. Capacitatis periculum faciat; quatenùs in debita claſſe ſinè ordinis perturbatione valeant collocari.*

b. *Notabili morum vitio infecti, nec non diſciplinæ incapaces prudenter reſpuantur.*

c. *Si cenſeat, aliquem admittendum; deſcripto eius nomine, cognomine, Patria, & habitatione, nec non claſſe, in qua collocatur; monitum de Scholarum noſtrarum Regulis, ſuo inſtituendum à Præceptori inter opportunas commendationes tradat.* Ex Reg. Præf. per totum. *

d. *Sit etiam Scholarum Præfecti nouorum Scholarium cōditionem ita librare, vt ab admittendo ad Scholas latinas caueat eos, qui præ conditionis tenuitate diù nequeunt in ſtudijs immorari: ta-*

les

les enim legere , scribere , & numerare tantùm docendi sunt. * Const.c.9.P.2.

e. *Quòd si eò feratur* Parentum *voluptas, & desiderium, vt Scholas latinas adolescentes eiusmodi doceantur; de Superioris approbatione fiat. Verùm aditus ad latinitatem non intercludatur ijs adolescentibus, qui altioris compotes ingenij, ad Statum Clericalem anhelant; dummodò Studiorum continuationi sint pares.*

Ad 239. Ex Officio Scholarum Præfectus bis in anno fieri curet examen discipulorum; nempe post kal. Nouembris, & solemnitatem Paschatis. Reg. Præf. nu. 2. *Non improbandum tamèn, si Superioris arbitrio eadem examina ante ferias autumnales, & festa Paschalia præueniantur.* *

a. *Eiusmodi autem examini faciendo aderunt Rector, Præfectus, & Alius saltēm, peritus rerum scholasticarum, Sacerdos; qui ritè scholasticorum ingenium, & profectum scrutati, eos ad classes respectiuas promoueant.* *

b. *Habebitur autem semestre discipulorum examen in Aula Scholarum, seu alio decenti loco per singulas classes circa præteriti semestris Studia; & quisquis fuerit superiori classi par inuentus, à Præfecto scribatur, vt post absolutum singularum classium examen, in catalo-*

*logo ad maiorem classem promotorum publicè in eadem Scholarum Aula renuncietur.**

c. *Vbi cauendum, ne, quamquam aliqui minùs profecisse comperiantur, diutiùs, quàm par est, in eadem classe immarcescant. Vitium itaque ingenij, cæteris paribus, debitum Scholis cursum ne retardet: secùs grauis ordini scholastico pareretur confusio.**

d. *Cum verò aliquis pusillæ capacitatis offertur, qui ad classes vlteriores progredi non posse videatur; facto cum Parentibus, aut Propinquis verbo, characteribus ritè formandis, & computis faciendis in classe respectiua dedicetur.**

*Ad 240. Ea sit Magistrorum sedulitas, vt adolescentes habiles reddant de semestri in semestre; ita vt ab inferiori ad superiorem classem, scilicet, ab Infima ad Mediam, à Media ad Supremam, & mox ad vlteriores in examine generali promoueantur.**

a. *In Singulis Collegijs, in quibus commodè id fieri potest, nouem, vt plurimùm, classes distinguendę. Quarum tres ad Arithmeticam, tres ad Grammaticam reducuntur: reliquę verò Humanitatem, Rhetoricam cum Poesi, & Moralem Theologiam concernunt.*

Prima est Infima legentium, primis Fidei, Pietatis, ac literarum incumbens elementis. Se-

Secunda, Media legentium, scribentium, &, iuxta faciliores Arithmeticæ Regulas, præsertim quatuor cardinales, numerantium.

Tertia, Suprema Arithmeticæ, in qua, præter canones ad affabrè, perfectèque scribendum, vniuersæ Arithmeticæ Tractatus expediuntur.

Quarta, Infima Grammaticæ, cuius Regulas generales excurrit.

Sexta, Suprema Grammaticæ, cuius Regulas generales repetit, & quascumque eius Obseruationes cum integro Prosodiæ Tractatu, nec non aliquid de structura Carminum ediscit.

Septima est classis Humanitatis, in qua, præter assiduas Grammaticæ, quoad difficiliora præsertim, repetitiones, & exercitationes, Methodus Epistolaris, Progymnasmata, Tropi, & Figuræ cum aliquo græci sermonis exercitio proponantur: nec non solutæ, ac ligatæ Orationis fundamenta iaciantur.

Octaua, Rhetoricæ de mane, Poesis de sero, breui, facilique methodo tradendę. R t. c. 14.

Nona, Moralis Theologiæ, quæ sub quarto nostro Scholarum Piarum Voto non comprehenditur; sed à Const. P. 2. c. 10. *publicas inter classes perspicuè indicatur.* Vide n. 6.

b. *Syllabum Authorum in singulis clas-*

classibus adhibendorum habes infra in Notis ad 258.

c. *Vbi Casus conscientiæ, aliæque Scientiæ traduntur, canones pro Studentibus, & Lectoribus Nostrorum respectiuè seruentur; recensentur autem* in Notis ad 252.

Ad 241. *Nonnisi libris assignatis per classes Magistri vtantur, iuxta catalogum à Præfecto quotānis in Atrio Scholarum publicè proponendum eadèm die, qua examen autumnale absoluitur.* Reg. Præf. nu. 7. * *Qui non solùm caueat, ne libri prælegendi bonis puerorum moribus obsint, sed etiam vt optimis characteribus sint impressi, ac de rebus agant, à quibus, tàm pueri, quàm eorum Parentes pia documenta percipiant.* Ibid.

Ad 242. *Dietim in Scholis minoribus, & maioribus ex memoria scholastici Sacram Catechesim in primis reddant ante cęteras Arithmeticæ, seu Grammaticæ Lectiones, ita vt indè sumant exordium Scholæ quæcumq; additis per Magistros opportunis explicationibus, & monitis, ad Pietatis cultum apprimè conducentibus.* Cap. Gen. 1637.

a. *Dominicis diebus publicè in Ecclesijs nostris Doctrina Christiana puerorum disputationi proponatur: cui Magistrorum accedet explicatio.* Reg. Præf. num. 4.

Imò

b. *Imò, præter diurnas in Sacra Catechesi exercitationes, & festiuas prędictas, diebus maximè Sabbati ad eam incumbendum*. Rit. cap. 14.

c. *In solemni Catechesis exercitio, diebus Dominicis ad Vesperas consueto, in Domibus Probationis, vbi sunt Scholę, aut Iunioratûs, Nouitij, siue Studentes, ad Superioris nutum, in eam docendis adolescentibus exerceantur. Laici tamen, vbicumque in nostris Ecclesijs id exercitij fiat, taciti assistant.* Cap.Gen. 1692.

d. *Ordo autem commendati tantopere Muneris adimplendi esto:*

e. Præfectus *Doctrinæ Christianæ, siue idem, qui* Scholarum, *siue alius, Superioris arbitrio, audito primo campanæ signo, cum alijs assignatis Magistris descendat in Ecclesiam: & ibidem in distinctis classibus, iuxta ætatem, & captum, pueros in silentio, & Modestia contineat, donec tempus incipiendi recurrat.*

f. *A primo signo ad secundum semihora circiter intercedat. Interea verò pius aliquis liber legatur, vel cantio spiritualis decantetur.* Rit. c. 11.

g. *Dato secundo signo, adolescentes omnes ordinatim genuflectant; & illorum duo ante Altare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum*

bolum Apostolorum, ac Decalogum, ceteris modestè respondentibus, patria lingua præcinant: mox Præfectus dicat: Actiones nostras &c. *iubeatque singulos, facta genuflexione, in suis classibus consistere.* Rit. c. 11.

h. *Indè per horam pueri sedulò exerceantur: prima semihora singuli coram suo Magistro reddent memoriter Doctrinæ Christianæ partem, ex Præfecti condicto: postea Magistrorum explicationem facilem, & efficacem accipient.* Rit. c. 11.

i. *Per alteram semihoram, primò pueri, ex præscripto pariter præparati, memoriter per saltum, vel alio modo disputando concertent pro præmio, vel pro consequendo singulis trimestribus super cæteros Imperio.* Ex Rit. c. 11. *

k. *Vltimo circiter quadrante Præfectus breuissimam habeat Concionē, super ijs maximè Mysterijs Fidei, quæ occurrunt, sacris dictis, & exemplis refertam: præscribatque, quæ in futura sessione promenda fuerint ex memoria.* Rit. c. 11.

l. *Quibus intra horæ spatium absolutis, duo designati à Præfecto discipuli Litanias Deiparæ præcinant, cæteris respondentibus, vt supra, genuflexis. Addet Orationem,* Gratiam tuam, *Præfectus; Preces aliquas iniunget pro Chri-*

stia-

ſtianæ Religionis incremento , hæreſum extirpatione , Concordia Principum Chriſtianorum , & eiuſmodi . Poſtmodum claſſes ordinatim dimittat . Ex Rit. c. 11.*

m. *Non ſolùm autem feſtiuis diebus, vt præfertur , habenda Catecheſis ad Veſperas; verùm etiam horis matutinis Oratoria, ſeu Congregationes ſcholaſticorum ſumma ſedulitate inſtituantur .* Cap. Gen. 1637. & 1641.

n. *Oratoria pueri frequentent ſingulis diebus Dominicis , & ſolemnitatibus primæ , & ſecundæ claſſis , exceptis diebus Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis , Aſcenſionis , Pentecoſtes , Corporis Chriſti , & Dominicę Quinquageſimæ .* Rit. c. 10.

o. *Eadem ex Conſuetudine habentur diebus ad* Sacram Synaxim *ſtatutis ; nec vllus , quemadmodum nec à communi Confeſſione , & Communione , ab illis eximatur , niſi ex legitima cauſa , per* Superiorem , *vel Præfectum* Scholarum *probanda .* *

p. *Eiuſmodi Congregationum Præfecti ſedulò curabunt , quatenùs pridie locus mundetur , & Altare ornetur, pro temporum varietate , ab Officialibus reſpectiuè aſſignatis .* Rit. c. 10.

q. *Iuxta numerum diſcipulorum , plura , vel pauciora vbique Domorum ha-*

habeantur Oratoria; quæ saltem duo sint. Primum, Officij Deiparæ pro maioribus. Secundum, Rosarij pro minoribus discipulis. In quibus attendendum, ne pueri discordibus vocibus canant, aut nimiùm properent; sed suauiter, & deuotè Deo laudes persoluant. Rit. c.10.*

r. *A primo campanæ signo ad secundum semihora de more intercedat: & interea pueris conuenientibus pius, & facilis aliquis liber prælegatur.* Rit. c.10.

s. *Ad finem cuiusque Oratorij breuis aliqua, & exemplis proficua concio pro captu puerorum per singulos Oratoriorum* Præfectos *habeatur; quæ cum Officio, aut Rosario horam non excedat: mox* Litaniæ *Lauretanæ decantentur, sicut in Doctrina Christiana: indè ad Sacrum de more ordinatim, sinè strepitu ab Oratoriorum Præfectis associentur; à Præfecto autem Scholarum custodiantur: denique paulatim sinè confusione dimittantur.* Rit. c. 10.

t. *Inualuit Consuetudo, vt semel in Mense, loco parui Deiparæ Officij, Defunctorum Officium à discipulis pro condiscipulis, alijsque vita functis, secundùm piam cuiusque intentionem, in Oratorio cantetur; prout pariter in obitu alicuius ipsorum, præsertim Congregationibus adscriptorum.**

u. *Nullibi tandem, præterquam*

scho-

scholarium nostrorum, instituantur; & alibi instituta, nec intra Claustra, nec in Ecclesijs nostris imposterùm admittantur Societates, *Confraternitates*, *Sodalitates, & alio quocumque nomine appellatæ, Secularium Congregationes; nisi re, & conditionibus maturè à Generali examinatis, & approbatis, eiusdem facultas accedat. **

*Ad 243. Quæcumque Lectio, quodcumque argumentum, & lucubratio in Pietatem, tanquam Instituti Scholarum Piarum scopum, feratur. **

a. *Vt autem ordinatim omnia decurrant, curet Præfectus, vt Regulæ Scholasticæ ob oculos omnium in Atrio, seu Aula Scholarum pendeant.* Reg. Praf. n. 9.

Ad 244. Muneris etiam Præfecti est attendere, vt Confessionem, & Communionem singulis mensibus, certo die assignato, discipuli frequentent; & qui non sunt apti ad Communionem, à Catechista ad Confessionem erudiantur. Reg. Præf. nu. 8. *Paruuli autem octies, aut nouies in annum pariter confiteantur: & exploretur sufficiens rationis vsus ad Communionem; vt ad eam eruditi, suo tempore promoueantur, præsertim in Paschate. **

a. *Triduo ante Confessionem, & Communionem generalem curet Præfectus in*

Atrio

Atrio Scholarum affigi Tabellam cum futuræ Confessionis, & Communionis Indictione, quatenùs adolescentes præmoniti ritè se præparent, & liberi sint Confessarij.

b. *Pridie ante sacram Synaxim indictam, ad alterum Scholarum pomeridianarum signum Confessarij se sistant in suis Sedibus Confessionalibus ad puerorum aduentantium Confessiones summa Charitate, Benignitate, & Patientia excipiendas.* *

c. *Erit interea Præfecti, siue etiam Catechistę per classes ordinatim scholares in Ecclesiam adducere, iisdem assistere, eosdemque reducere; alios interea prę-monendo in Scholis, vt per examen conscientiæ, aliosque actus ritè se præparent: in qua re singuli quoque Magistri insigni Zelo immorentur; docendo pręsertim rationem, & praxim examinis instituendi, & actuum Contritionis, & Propositi eliciendorum; summam pariter adolescentibus confidentiam ingerendo, ad integritatem Sacramenti, dictis, & exemplis opportunioribus in eum finem vtentes.*

d. *Ea die, qua eiusmodi scholasticorum Confessio pręuenitur, semihora, Scholis vespertinis subtracta, per earum Prefectum, seu alium Deputatum à Superiore impendatur in opportuna Concio-*

*ne ad ſcholaſticos omnes in Eccleſia congregatos ante conſuetas Deiparæ Litanias, vt moris eſt: tunc autem Sabbatum ſequens conſueta vacat Concione:**

e. *Item in Oratoriis, ante Communionem habendis, per eorum Præfectos patheticis adhortationibus, & exemplis adoleſcentes ad veram deuotionem accendantur; vt ſumma animi, & corporis moderatione, ac innocentia ad ſacram Synaxim accedant. Quod iterum poſt Communionem pro gratiarum actione in iiſdem Oratoriis per horæ circiter quadrantem præſtandum: vbi tandem, cantato hymno,* Pange lingua, *cum ſolitis Precibus, Congregationes abſoluantur.**

Ad 245. *Dato in ſingularum horarum lapſu campanulæ ſigno, Magiſtri, & ſcholares, aperto capite ſtantes, Angelicam Salutationem, alta voce ab ipſo Magiſtro, vel ab vno ex diſcipulis recitatam, deuotè audiant, Deiparæ Interceſſione toties, quoties in eius fine imploratu per* ℣. Sancta Maria. ℟. Ora pro nobis.

a. *Item, conſuetis gratiaram actionibus exercitationes literariæ abſoluantur.* Rit. c. 12.

Ad 246. *Cautum Præfecto, & Magiſtris, ne quem nudis carnibus verberent.* Cap. Gen. 1665. *Quòd ſiquis verberandus ſit, non verberent, vt verberent*

rent; sed vt metum incutiant, non nisi scutica vtantur; ità verò, vt nullum signum, seu liuor imprimi possit; imò potiùs per genuflexiones ad aliquod tempus, per Precum aliquarum recitationem, per notas negligentiæ inflictas, & eiusmodi contineantur. Quòd si grauitas alicuius delicti, vel alia ratio digna sit exclusione studiosi alicuius à Scholis, id neque à Prefecto, neque à Magistris fiat, nisi de authoritate Rectoris; nec vllus eiectus, iterum sinè eiusdem facultate recipiatur. Reg. Præf. num. 10.

a. *Exemplo etiam vrbanitatem doceantur adolescentes à Magistris, abstinendo ab improperiis, & id generis: imò per aliquem respectum cum illis agant, vt agere addiscant. Seruetur propterea in alloquendo scholasticos mos Gentis decentior.*

b. *Ad Magistrorum autem leuamen à grauibus Instituti oneribus, & ad scholasticorum recreationem vacabitur à Scholis iuxta sequentem temporum distributionem.*

c. *Vacationum, seu feriarum scholasticarum aliæ sint hebdomadales; aliæ autumnales.*

d. *Vacationes hebdomadales à kal. Nouembris vsque ad Pentecostem erunt*

feria quinta à prandio ; mane semihora Scholis adempta ; à festo autem Corporis Christi vsque ad Kal. Nouembris tota feria quinta vacat. Rit. c. 13.

e. *Si occurrat festum feria secunda, vel* Sabbato, *datur vacatio: si feria tertia, vel quarta, vel quinta, vel sexta, vel bis integrè in eadem hebdomada, non datur vacatio.* Cap. Gen. 1637.

f. *Aliæ vacationes autumnales dicuntur, quæ à festo* Sancti *Francisci, seu aliàs, iuxta Locorum Consuetudines, vsque ad solemnitatem Sanctorum Omnium consueuerunt concedi; dimittendo gradatim classes, ita vt à quarta Octobris Casistæ cum cæteris* Scientiarum *auditoribus, vbi docentur, Rhetores, Humanistæ, & Grammatici, & Arithmetici* Supremæ *classis ad ferias dimittantur.*

g. *A sexta Octobris vacant classes Mediæ Grammaticæ, & Arithmeticæ.*

h. *A nona Octobris Infima Grammaticæ, & Arithmeticæ.*

i. *A duodecima Octobris cæteræ classes. Classis tamen Abecedariorum, quorum feriæ quindecim dierum spatium non excedunt, ad mentem* Cap. Gen. *1637; die 15. Octobris ferias autumnales ingreditur. Vbi notandum, à classe maiori trahi ad vacationes quemcumq; minorem eiusdem* Scholæ.

De

De Promouendis ad Studia Literarum.

CAPVT X.

247. Versantur Scholæ Piæ circa piam, & literariam puerorum eruditionem, ad animarum salutem.

248 Assequendo Instituti eiusmodi fini requiruntur exemplaritas vitæ, doctrina, modus docendi.

249. Iuniores Nostri, Virtutibus adulti, Studijs literarum dedicentur.

250. Singulæ Domus binos Alumnos ex Nostris alant, donec in singulis Prouincijs Collegium vnum instituatur pro eisdem vnà erudiendis.

251. In eiusmodi Collegio, nisi pro Nostris, vltra Rhetoricam, & Casus conscientiæ non procedatur.

252. Scientiarum Studiosi frequentiùs de illis disputando concertent. Operam autem Humanioribus dantes, Actus academicos, etiam extemporaneos, ad aciem ingenij explorandam, coram aliquo, qui eos dirigat, frequentiùs habeant.

253. Iidem communiter latinè loquantur.

254. Secundo Probationis anno Nouitij, approbante Superiore, doceantur modum docendi Doctrinam Christianam, Characteres, & Arithmeticam. Quisquis autem ad ea singulare talentum præsefert, in eisdem perficiatur; vt ad congrua promoueri possit Officia; sicut etiam, qui tradendis Linguæ latinæ Rudimentis excelluerit.

255. Nullum tempus à Studiosis Nostris extra solitas recreationes otiosè teratur; neue Orationis Studium, animique Modestiam posthabeant; & sedulò Pietatem cum Studijs colant.

256. Ad instaurandum, augendumque Spiritûs feruorem, ante binam Solemnem per annum Votorum Renouationem, Spiritualibus Exercitijs vacent.

N O T Æ.

Ad 247. Vide n. 1; Ad 1. & seq.

Ad 248. *Iuniores, qui non dederint Regularis Obseruantiæ specimina, inhabiles ad Studia censeantur: neque ad vllos Ordines valeant promoueri, donec prorsùs emendati Studijs restituantur, & diutiùs circa mores probentur.* **Quod potissimùm præscribitur pro obseruantia*

Sa-

Sacrorum Canonum, præcipuè Decr. dist. 38. cap. Ignorantia, mater. *& cap.* Nulli Sacerdotum.

a. *Quandiù verò Studijs priuati extiterint, humilioribus, ac mortificationis exercitijs dedicentur: & illud tempus (tanquam non fuissent in Religione) pro suscipiendis Ordinibus, & pro complemento septennij à Professione non computetur.*

b. *Grauioribus etiam pœnis, prò relaxationis, & errorum grauitate, afficiantur.* * Cap. Gen. 1637.

c. *Singulæ* Prouinciæ *continuum habeant Studium Humaniorum literarum, Linguæ Græcæ, Characterum, Arithmeticæ. Philosophiæ, Matheseos, Theologiæ Moralis, & Scholasticæ; nec vlli ex quacumque causa, nisi in pœnam, seu ex necessitate, liceat Studia differendo intermittere.* Cap. Gen. 1665. & 1671.

d. *Prouinciales de Studiorum ratione, quoad literarios, & religiosos progressus, Generalem frequentius informent; à cuius præscripto in Studiorum ordine non discedant.* *

e. *Iuniores ad Scientiarum Studia promoueri non valeant, nisi tantam habeant Humaniorum literarum peritiam, vt eas laudabiliter docendo sint pares.* Cap. Gen. 1692. & Reg. Scholast. n. 5.

Ad 249. *Clerici, expleto Probationis tempore, literis Humanioribus, Instituto pernecessarijs, solidè biennio instituantur: mox, per accuratissimum examen habiles comperti, ad Philosophiam, biennio pariter excurrendam, promoueantur. Qui verò in Humanioribus ex vitio ingenij, aut valetudinis minùs eo tempore profecerint, Casibus conscientię, & Arithmeticæ, cum Characteribus addiscendis, post auditam Logicam, applicentur.*

a. *Absoluta biennio Philosophia, qui præ cæteris probitate morum, ac doctrinæ præstantia per idem examen laudabiliter profecisse inuenti fuerint, Sacrę Theologiæ triennio absoluendæ addicantur; repetitò singulis annis circa ferias autumnales solemni omnium examine; priuatum verò singulis quadrimestribus iterandum, si Prouinciali expedire videatur.*

b. *Ne per Scientiarum lucrum, religiosæ iactura fiat Humilitatis, interdictum quodcumque Lectoribus, & Studentibus Priuilegium; imò quò altiùs fertur ingenium, eò profundior celatur Humilitas.* Cap. Gen. 1683.

Ad 250. *Nouitij ad Professionem admissi, vt meliùs in Regulari Obseruantia stabiliantur, & confirmentur, in eodem Nouitiatu, tanquam Nouitij, detinean-*

neantur, donec, in opportuna classe collocandi, in aliam Domum ex designatis pro secundo Nouitiatu transferantur; vbi sit locus cum requisitis ad ipsum Nouitiatum; in quo Neoprofessi degant sub Regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quàm antiquiores Professi, abdicati à tractatibus, & externis quibuscumque rebus, operam literarum Studijs nauando sub Regimine Institutoris, qui eas habeat qualitates, quibus Nouitiorum Magister sit refertus oportet. Ex Decr. Clem. X. 18. Martij 1676.

a. *Imò sub eiusmodi Legibus Clerici perseuerent, tanquam Nouitÿ, donec Artium; & Scientiarum Studium, vel tempus ad id requisitum absoluerint, & non solùm quousque ad ætatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem peruenerint.* Ex Decr. Clem. VIII. & X. *Quorum Decreta non derogant Constitutionibus nostris c. 4. P. 3. remittentibus Superiorum arbitrio vlteriorem secundi Nouitiatus durationem; prout expresse Clemens VIII. Const.* Cum ad Regularem. §.Ab hoc tamen. *& Clemens X. Const.* Ad Propagandam. *18. Martÿ* 1676. Vide 365. & ad 365.

Ad 251. *Cum nostra Constitutio in ea tantùm Domo, in qua Studium Prouinciale Nostrorum instituitur, vltra Rhe-*

toricam, & *Casus conscientiæ*, *nisi pro Nostris, procedi vetet; huiusmodi exceptio firmat Legem in contrarium; videlicet, non prohiberi in cæteris omnibus nostris Domibus, Studio Prouinciali Nostrorum non destinatis, publicam ulteriorum Scientiarum Professionem. Itaque in Domo duntaxat prædicti Studij Prouincialis pro Nostris, quæ, iuxta Constitutionem, vna esse debet Formalis, seu Principalis in singulis Prouincijs, requiritur ad vlteriores Scientias publicè pro solis Exteris profitendas Præpositi Generalis Dispensatio.* *

a. *At verò Studentes Nostri cum Scholasticis Externis, preterquàm literariarum exercitationum, à* Lectoribus *ordinandarum, occasione, nullam ineant familiaritatem; neque ipsi Externi ad Lectoris, Iuniorum, vel aliorum Cellas, aut Officinas domesticas vnquam admittantur.* *

b. *Iubentur Lectores*, & *Magistri Scientiarum iuxta mentem Doctoris Angelici Theologiam tradere*, & *profiteri.* Cap. Gen. 1677. *Item præcipiuntur, tam in Philosophicis, quàm in Theologicis illibatam eius sententiam tueri; maximè circa physicam Præmotionem*, & *efficaciam Gratiæ prędeterminantis, sub pœna inhabilitatis ad Catbedras.* * Cap. Gen. 1692.

Ad

Ad 252. *Quoniam à Nobis condendos pro Studentibus Nostris, & Externis, eorumque Magistris, & Lectoribus canones decreuit* Cap.Gen.1665.& 1692; *sequentem Studijs Nostratum cursum, pro Præfecti Studiorum arbitrio, & prudentia, definimus. Cum itaque Constitutio nostra Aliquem requirat, qui Iuniores in Studijs dirigere valeat; Generalis, seu Prouincialis ex Delegatione, Prefectum Studiorum; vel eundem, vel alium ac Institutorem, in Iunioratibus designet; qui Artium peritia plurimùm pollens, Literarum, & Scientiarum Professoribus, & Studiosis, etiam Moralis Theologie, quidquid ad rectum ordinem, ac decorem expedire sibi videbitur, Superiore consentiente, demandet, vel prohibeat: nec non Actibus presit; &, quà publicè, quà priuatim, omnia prudenter moderetur.* *

a. *Primo Rhetorici, & Poetici biennij quadrimestri summaria repetitio Grammaticæ cum Prosodia, Carminum generibus, & Figuris ad eam spectantibus, & Methodus aliqua Epistolaris tradatur.*

b. *Secundo quadrimestri Elocutionis Rhetoricæ precepta, nec non Poeseos, sequentibus quadrimestribus continuandæ, cum praxi continua proponatur.* Vide ad 240, d.

c. *Tertio quadrimestri agatur de Progymnasmatis, & Rhetoricæ Proœmialibus.*

d. *Quarto quadrimestri de Inuentione, cum reliquis Rhetoricæ partibus.*

e. *Quinto quadrimestri de triplici Dicendi Genere.*

f. *Sexto quadrimestri, cuius nomine varia per annum vacationum tempora complectimur, partim in ferias scholasticas, partim in* Spiritualia *Exercitia, & partim in examina quadrimestria consumpto, siquid superest, iugis Legum Rhetoricarum, & Poeticarum, cum eruditis Obseruationibus praxis instituatur; quæ quidem debet esse diurna super occurrentibus vtriusque Facultatis* Præceptis.

Authores, tam theorici, quam practici respectiuè recensentur infra ad Const.n.258. *Ex quorum vsu in Studijs suis Iuniores Nostri, cum primùm Scholis docendis addicti fuerint, illud commodi nanciscentur, vt iam satis eorum habeant peritiam, nullas difficultates in eisdem interpretandis habituri.* *

g. *Biennium item Philosophicum, in quo, post absolutam Logicam, dies vna, Lectoris arbitrio, per singulas hebdomadas in Ethicis Quæstionibus impendenda, sequenti ordine procedat.*

h. *Primo quadrimestri Commenda-*

tio

tio Doctrinæ D. Thomæ Aquinatis, Magistri nostri; Modus disputandi; Summulæ, seu Logica Minor, & Proœmialia Maioris, ante, vel post Theses de Ente rationis; & de Vniuersalibus in communi.

i. *Secundo quadrimestri reliquæ de* Logica *Maiori Quæstiones.*

l. *Tertio quadrimestri Proœmialia; & quinque priores Libri ex octo Physicorum.*

m. *Quarto quadrimestri Libri, qui supersunt ex octo* Physicorum*; de Cœlo, & Mundo; de Generatione, & Corruptione.*

n. *Quinto quadrimestri de Anima; Metaphysica; & Meteora.*

o. *Sexto quadrimestri, siquæ supersunt, Quæstiones de prædictis absoluantur; & reliquum, vt supra in biennio Rhetorico: sed literaria exercitia in Casus conscientiæ conuertantur.*

p. *Pari passu in triennio Theologico progrediendum.*

q. *Primo quadrimestri de* Sacra *Doctrina; de Sacramentis in genere, & in specie de Eucharistia.*

r. *Secundo quadrimestri de reliquis Sacramentis in specie, signanter de Pœnitentia; & insuper de Actibus Humanis.*

s. *Tertio quadrimestri de Legibus;*

de

de Vitiis, & Peccatis; de Virtutibus in genere; & de Virtutibus Theologicis.

t. *Quarto quadrimestri de Deo vno, & Attributis; de Visione; & de Beatitudine.*

u. *Quinto quadrimestri de Scientia Dei; de Prædestinatione; & de Voluntate Dei.*

x. *Sexto quadrimestri de Trinitate, cum parte aliqua Tractatus de Angelis.*

y. *Septimo quadrimestri Quæstiones, quæ supersunt de Angelis; de Gratia, de Iustificatione, & Merito.*

z. *Octauo quadrimestri de Incarnatione.*

aa. *Nono quadrimestri Theses reliquæ de præcedenti Tractatu, siquæ superstites fuerint, absoluantur: &, siquid temporis superest, in ea, quæ ad calcem biennii Philosophici recensentur, impendatur.*

bb. *Memores autem esse debent Studentes Nostri, cum docendi Votum emiserint, addiscendi debitum se contraxisse. Totis itaque viribus eò connitantur, vt in egregios Pietatis, & Artium assertores euadant.*

cc. *Iugis itaque, tàm Rhetorices, quàm Philosophiæ, ac Theologiæ auditorum sit exercitatio priuata, & publica, & in profectus experimentum (quòd omnia in Professoriis fieri debeant, vt in*

primis

primis Nouitiatibus) vnoquoque quadrimestri Studentium Visitatio super moribus, & doctrina, etiam cum examine, si videbitur Visitatori, circa Tractatus, seu Materias eo quadrimestri habitas, ad formam quadrimestris Nouitiorum Visitationis (de qua in Cap. 2. P. 1. ad 31.) *instituatur; excipiendo, pro Commissarii libito, iuratas Praefecti, & Magistri, seu Lectoris relationes, cum veridica ceterorum illius Domus Vocalium, seorsim interrogatorum, informatione; cuius compendium toties, quoties ad Generalem epistolâ transmittatur.*

dd. *Praemissis itaque praemittendis, lustrato, prout in Nouitiatibus, loco, in quo cum suo* Praefecto *à ceteris segregati agunt Neoprofessi, auditisque Familiae* Patribus*, vt praefertur, ad examen quadrimestre, si pro Visitatoris prudentia habendum sit, procedatur.*

ee. *Antequam autem de Lectionibus quadrimestribus requirantur, tradantur Examinatoribus descripti Tractatuum eo quadrimestri habitorum Tituli, seu Theses: mox, si Rhetores fuerint, ad quaesita super Praeceptis respondeant; deinde per extemporaneas lucubrationes videatur, an valeant vti theoricis in praxi, declamando, Authores interpretando, & eiusmodi, pro captu.*

ff. *Si verò de Philosophis, aut Theologis agatur; interrogati sinè forma Syllogistica, enarrent in primis quidquid in ea Quæstione contineatur, varias Doctorum sententias recenseant, & Controuersias: sententiam denique, quam docentur, per argumenta logicè producta confirment. Postmodum placita in contrarium refellant.*

gg. *Hinc, ad Ingenii experimentum, contra singulos ab Examinatoribus opportunè arguatur.*

hh. *Examinati tandem singulatim, secreto Examinatorum suffragio subiiciantur; qui referãt, non solùm per compendium in librum eiusmodi quadrimestriũ Visitationum, quid de singulis circa mores, & sedulitatem auditum sit; sed etiam quota quisque prò, vel contra retulerit suffragia; quæ pariter cum cæteris informationibus ad Generalem referenda; vt vbertim de omnibus certior fiat per epistolas ad mensuram folii Romani cum amplis marginibus. Et inter cætera, quando ad vlteriorem classem, seu Facultatem transitus imminebit, significetur, quinam ex Nostris Studentibus ad eam gradum facere, vel in propria subsistère, vel in inferiori reponi debuerint. Omniã tamen sub secreto fideliter contineantur.*

ii *Ad singulorum quadrimestrium*

la-

lapſum (præter menſtruas per gyrum Declamationes, modò latinas, modò vulgares in Refectorio , ad cuiuſque Magiſtri præſcriptum , memoriter habendas) tàm Rhetores , quàm Philoſophi , & Theologi Actum aliquem academicum ritu ſolemni habeant ; cuius argumentum Rhetboribus Magiſter præſcribet ; Philoſophi verò , & Theologi concordes ad libitum Lectorum deſument à Tractatibus, quos eo quadrimeſtri habuerint, aut aliundè .

ll. *Tertio quolibet quadrimeſtri, loco Actus academici, tàm Philoſophi, quàm Theologi Theſes ex Tractatibus illius anni publicè tuebuntur , ſumptibus Domus ; at ſinè faſtu ; potiſſimum verò ad libelli formam imprimendas . Ad quas laudabiliùs defendendas , priuatis Concertationibus , & Circulis inter ſe quotidie ; coram autem Superioribus , & Patribus eius Domus , ſemel ſaltèm in hebdomada , die per Lectorem ſtatuenda, exercebuntur .*

mm. *Item, Humaniorum literarum Alumni ſingulis quintis ferijs , vel Dominicis diebus, & quoties Magiſter preceperit, ad menſam memoriter, ligata, ſeu ſoluta oratione aliquid recitent .*

nn. *Super quibus pro Munere ſatagant Rectores .* Reg. Rect. nu. 13.

oo. *Hebeſcentes ingenio , ſi euiden-*

ter

ter inepti ad altiores progressus, post absolutum Rhetorices curriculum, Studijs maioribus, excepta inuiolabiliter Logica, interdicuntur; Characteribus, Arithmeticæ, & Casibus conscientię addicendi, donec perficiatur, saltèm sub Institutione Lectoris pro Exteris.

pp. Caueant Lectores, ne lato quidem vngue ab Angelica Doctrina deflectentes, inutilibus Quæstionibus immorari, aut nimiùm prolixis; neque insolita Methodo procedant, neque vltra biennium Rhetoribus, & Philosophis prescriptum, Theologis autem triennium, Tractatus producant; secùs priuationem Cathedræ subituri. Pro quibuscumque Studiosis Nostris idem prorsùs exercitij scholastici tempus, quod publicis Scholis nostris præfigitur, tàm mane, quàm vespere, partim in scribendo, partim in explicando, repetendo, ac disputando, & pijs præcipuè documentis, passim propositis impendatur.

qq. Quoniam verò inter cætera Studia Mathesis quoque asseritur; eius Elementa, & Tractatus, cum sese obtulerit opportunitas, inter Philosophicas, & Theologicas Quæstiones tradantur, ad Generalis, vel Prouincialis dispositionem.

Ad 253. Locutio latina, Studentibus communiter præscripta, in actu exercito Studiorum, Concertationum, & Examinum

minum penitùs obseruetur, tàm à Rhetoribus, & Philosophis, quàm à Theologis: *

Ad 254. *Sacris quoque librorum sacrorum lectionibus, alijsque spiritualibus medijs quotidie vtantur, ad Perfectionis fastigium inter Scientiarum Studia anhelantes; assertores effecti Angelici Magistri consuetudinum, quemadmodùm Doctrinæ. Quod & reliquis omnibus, tanquam singulare spiritualis vitæ subsidium, præcipitur.* *

a. *Præterea, iubente Clemente X. in Decr.* 1676. *quatenùs Neoprofessorum, & Nouitiorum eadem sit disciplina; non modò quotidie cum Iunioratus* Pręfecto *post matutinam recreationem coram augustissimo Eucharistiæ* Sacramento *se sistent, Vota priuatim renouabunt, & Indulgentias lucrari contendent; sed etiam semel saltèm in hebdomadà Rectori, seu Institutori* Spirituali *fidelem conscientiæ rationem reddent.* * Ritus describitur ad 374.

b. *Item festiuis diebus in Superpelliceis bini, seu plures adsint in Sacrario Clerici Nostri, Rei Sacrę ministraturi.* Rit. c. 1. num. 6.

Ad 256. *Studentes ante Resurrectionem, & Natiuitatem Domini per decem dies Spiritualibus Exercitijs vacabunt.* Reg. scholast. nu. 3. Vide ad 41. a. b.

a. *Nec*

a. *Nec solùm Clericis eiusmodi Spiritualia Exercitia præscribuntur ; sed ab omnibus, ad renouandum Charitatis feruorem, ab externis occupationibus recedendo, præter iniuncta pro Votorum Renouatione, tempore Vacationum, vel alio commodiori quotannis fiant.* Rit. c. 4. & Cap. Gen. 1683.*

b. *Regulares, qui Exercitijs Spiritualibus per decem dies vacant, toties, quoties Indulgentiam Plenariam lucrãtur.* Paulus V. 23. Maij 1606.

c. *Quapropter per decem dies post susceptionem Habitus, & ante Votorum emissionem Nouitij, & ante singulos sacros Ordines, ex Alex. VII. P.M. præscripto, Ordinandi, nouelli præsertim Sacerdotes, in eiusmodi Spiritualibus Exercitijs, conscientias etiam generaliter expiando, versentur.* Rit. cap. 4. num. 6.

d. *Iuniores, quanquam Sacerdotes, cum suo Præfecto seorsim habeant ab Antiquioribus locum recreationis, & accuratiori Disciplina contineantur.* Cap. Gen. 1637. *Neq; Domo egredi valeant, nisi cum proprio Superiore, aut Præfecto, vel Lectore ; secùs, non nisi terni procedant, vel vnà omnes cum Superiore, aut Præfecto, seu Lectore.**

e. *Admissi ad Habitum Sacerdotio initiati, per triennium saltem post emis-*

sam

ſam Profeſſionem omnimoda Iuniorum Diſciplina erudiantur. Cap.Gen.1637. & ex Decr. Clementis X. 1676. Vide ad 250.

De Diſciplina Vniformi in Scholis obſeruanda.

CAPVT XI.

257. Sit eadem vbique Domorum Diſciplina, eadem Exercitia, & eodem ritu perſoluantur.

258. Eadem in omnibus Scholis Doctrina, idemque tradendi modus habeatur.

259. Hi ſint vbique de Rectoris induſtriâ ſcholaſticorum libri, à quibus tàm pueri, quàm Parentes ad virtutem erudiantur.

260. Præter Characterum formam, adoleſcentes Orthographiam doceantur.

261. Eadem ſit vbique docendæ latinitatis methodus; nec, inconſulto Generali, alicubi varietur.

262. Authorum optimi, cæteriſque faciliores, vtiliores, & breuiores in quacumque Facultate tradendâ ſeligantur.

NO-

NOTÆ.

Ad 257. *Eò Rectorum studia dirigantur, vt in Domibus curæ suæ commissis Vniformitas in omnibus foueatur; maximè in vestitu*: Reg. Rect. nu. 21. *etiam in Clericalis Coronæ, comæ tondendæ, barbæque forma; quam neque frequentiùs radant, neque diutiùs nutriant quindenis circiter diebus*. * Vide num. 205. pag. 131. *Nihil noui, nihil insolitum, tàm in Domus ordine, quàm in Scholis, & in Ecclesia patiantur: neque praxim, nisi fortè Statutis, aut Consuetudinibus nostris aduersetur, vsurpatam, vllatenus mutent, aut peruertant, seu negligi sinant. Idemque in omnibus agendis Ritus Religioni solemnis adhibeatur.* *

Ad 258. & 259. *Ad eandem in Scholis omnibus doctrinam tradendam, vniformis, quoad fieri poterit, sit Authorum delectus, potissimùm ex Nostris*. Cap. Gen. 1692.

a. *Pro Infima legentium classe* Psalterium, *seu Abecedarium; Compendium Doctrinæ Christianæ Card. Bellarmini, & eius Declaratio; & Gesta Seruorum Dei nostræ Religionis; vel pius aliquis eiusmodi libellus*.

b. *Pro-*

b. *Pro Media classe legentium Acta Vitę Serui Dei Glycerii à Christo ab Alexio à Concéptione descripta ; Centuria Exemplorum notabilium, Ioannis Francisci à Iesu ; & Elementa Arithmeticæ Ioannis Baptistæ à S. Francisco , & idem Bellarminus , vel eiusmodi .*

c. *Pro Suprema , eadem Sacra Catechesis ; Officium Deiparæ cum reliquis vnà collectis ; & eadem Centuria Exemplorum , si lectione hæc classis indigeat , cum eiusdem Io: Baptistæ à S. Francisco Elementis Arithmeticis ; vel eiusmodi .*

d. *Pro Infima Grammaticæ , quemadmodum pro reliquis , Ambrosij à Visitatione in* Latinam *Linguam Grammaticæ Institutiones (vel alterius Authoris facilis , & præcipui) de Rudimentis, vsque ad Regulas generales Actiuorum , &* P*assiuorum inclusiuè .*

e. *Pro Media Grammaticæ idem Author, de Generibus nominum , ac Præteritis , & Supinis Verborum, per generales Syntaxeos Regulas , absque Obseruationibus , vsque ad Prosodiam exclusiuè ; Epistolæ Selectæ Ciceronis , & Ouid. de Tristibus .*

f. *Pro Suprema eędem Institutiones Grammaticæ cum omnibus Obseruationibus; Prosodia, cum* P*edibus metricis,*

Ver-

Versibus, & Figuris. Lelius de Amicitia; Ouidius de Ponto, vel Eclogæ, seu Georgica Virgilij, vel eiusmodi.

g. *Pro classe Humanitatis Methodus Epistolaris, siuè Breues Institutiones ad literas conscribendas, Camilli à S. Hieronymo: deinde Methodus Progymnastica, siue Artificiosæ Orationis prolusiuæ Institutiones Eiusdem, & Caroli à S. Antonio Patauino Anconitani de Arte Epigrammatica: Cicero de Officijs, Virgilij Æneidos, Q. Curtius, & Odæ Horatij expurgatæ, vel eiusmodi.*

h. *Pro classe Rhetoricæ Methodus Artificiosæ Orationis, siue Rhetoricæ Institutiones Camilli à S. Hieronymo; & eiusdem Methodus Metricæ Orationis, siue Poeticę Institutiones: Orationes Ciceronis Selectæ; Salustius, Odæ Horatii, Virgilii Æneidos, & Martialis expurgatus, vel eiusmodi..*

i. *Pręcepta, & exercitia scholastica matutina tradantur vbique respectiuè de Oratione Soluta; itemque Authores explicentur. De Oratione Ligata, cum Poetarum interpretatione, atque lucubrationibus de sero.*

l. *Pro classe Casuum conscientiæ, in quibus tradendis Angelici Doctoris, prout alii Professores tueri tenentur, Lectores sententiam sequantur. Genuinè*

nuinè tantùm Morales *Tractatus ordinatim scripto tradant; explicent, repetitiones exigant, concertationes instituant.*

m. *Memores autem sint Magistri, sibi vetitum alios Authores, quam assignatos in annuo eorum Syllabo, explicare.* Rit. c. 12. n. 8.

n. *In Præceptis tradendis (dummodò propositorum Authorum methodus per singulas classes ad vnguem seruetur, & dietim Theoremata proponantur) licitum Professoribus Tractatum aliquem cum exemplis vberioribus, breuem, & facilem ex ingenio dictare.* *

o. *Idem sit Magistrorum omnium ordo; genuflexus quisque cum suis Auditoribus de more Preces deuotè recitet:* C*athedram ascendat: Lectiones è memoria requirat ab aliquibus: exigat lucubrationes: data vni classi occupatione interim opportunæ, exercitium alterius emendet: indè alterius classis occupationes corrigat: mox ad Præcepta ex Authore præscripto desumenda, cum exemplis practicis se conuertat: argumenta pro sequentibus occupationibus præscribat; ea, quæ necessaria videbuntur pro lucubratione, suggerendo. Tandem Oratorem, vel Historicum, si de matutinis* Lectionibus *agatur; si*

de vespertinis, Poetam *interpretetur per notas*, *ad captum Auditorum*, *opportunas*; *omnia semper de more in Pietatis cultum deriuando*. Vide ad 237. &c.

p. *Vt adolescentes locutionis latinæ libertati assuescant*, *promoti ad classes Mediam*, & *Supremam Grammaticæ*, *ad Humanitatem*, & *Rhetoricam semper latinè loquantur*; *neque Magistri secùs fieri sinant*; *vt etiam ex necessitate dictionum quærendarum*, *vberiori*, & *faciliori colloquendi vsu in habitum proficiant*. *



SY-

SYNOPSIS CONSTITVTIONVM

PARS TERTIA.

De Capitulo Generali.

CAPVT I.

§. I.

263. Capitulum Generale bifariam cogendum: vel ſcilicet, ad noui Generalis electionem, vel ad grauiora Religionis negotia.

264. Capitulum pro habenda Generalis electione, à Generali Vicario indicendum.

265. Vt quis vtraque Voce fruatur, ſit à ſeptennio ſaltèm Profeſſus, & à triennio Sacerdos.

266. Triduo ante conuentum electionis, ſeriò per Vicarium adhortandi Vocales; vt ſeſe Oratione, Sacrificijs, et Informationibus ad optimam electionem præparent; enuncia-

tis inconſultæ electionis malis, & periurijs, & Cenſurarum Eccleſiaſticarum periculis.

267. Ipſa electionis die ſit in Eccleſia conſpicuum Sanctiſſimum Sacramentum, ad impetrandam electionem illius, in quo maior Prudentia, Experientia, & Virtus emineat.

168. Nemo apud ſe definiat, quem ſit electurus, donec Aulam Comitiorum ingreſſus, rem iterum Deo commendauerit.

269. Sub anathematis latę Sententiæ pœna reuelandus quiſquis directè, vel indirectè Generalatum ambierit. Conuictus de ambitu perpetuam ſtatim Vocis priuationem, & inhabilitatem incurrit; ſicut etiam quicumq; pro alterius electione aliquem induxerit, vel ſollicitauerit.

270. Ipſa electionis die omnes celebrent Miſſam de Spiritu Sancto; vel ſaltèm, ad eius afflatum impetrandum, communicent.

271. Ad Vocales campanæ ſigno conuocatos, vnus ex ipſis, à Vicario deſignatus, per ſemihoram de optima Generalis electione in genere concionetur,

272. Abſoluta Concione, dicitur Hymnus de Spiritu Sancto: *Veni Creator Spiritus*.

273. Custos à Vicario deputatus Vocales concludat: nec vllus egredi permittatur; nec aliud in victum suppeditetur, quàm panis, & aqua, antequàm Generalis eligatur.

274. Iterandæ Preces: & nullum alium alloquendo, coram Deo statuendum, quem quisque sit electurus.

275. Scribatur secretò à singulis Vocalibus nomen illius, quem senserint eligendum in Generalem; ad quę omnia vnius horæ spatium ad summum præfigitur.

276. Omnibus ordinatim sedentibus, Vicarius Congregatos ab omnibus Censuris, ad effectum electionis Canonicæ faciendæ tantùm, absoluit.

277. Secretarius, & Adiunctus, per secreta suffragia ex Vocalibus electi, Vicario ad mensam in medio positam assistant.

278. Vicarius cum iuramento protestetur, se nullum, quem non debeat, admissurum, vel exclusurum.

279. Mox, repetita Sancti Spiritus Inuocatione, primò Vicarius, deindè Singuli Iuramentum huius tenoris præstent.

Testem inuoco cum omni reuerentia Iesum Christum, qui est Sapientia Æterna, quòd Ego *N. eligo, & nomino in Ministrum Generalem Religionis Pau-*

 perum

perum Matris Dei Scholarum Piarum, quem sentio, ad hoc onus ferendum, aptissimum.

280. Continuò schedulam in vrnam clausam ex rimula immittat; & cōsequenter Secretarius, Adiunctus, & Cęteri, iuxta ordinem suę antiquitatis.

281. Omnibus videntibus, Vicarius vrnam aperit: schedulas effundit: effusas numerat, an Vocalibus respondeant.

282. Secretarius explicat schedulas; easque Vicario, & Adiuncto videndas porrigit; & seorsim describit cuiusque electi suffragia.

283. Quisquis vota supra medietatem sortitus fuerit, in Generalem à Vicario sequentis Decreti tenore pronuncietur.

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego N. tàm nomine meo, quàm Cęterorum, idem sentientium, eligo N. & declaro in Ministrum Generalem Religionis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

284. Ad reuerentiam Electo exhibendam, eiusque manum genibus flexis osculandam statim omnes accedant: quod ab Electo neutiquam recusandum.

285. Afferta nouo Generali Obedientia, Deo gratiæ agantur per Canticum

ticum: *Te Deum laudamus*.

286. Quatenùs pro nullo suffragia excedant medietatem, confugiatur ad Compromissionem in quinque Electores, ex numero Vocalium per votorum pluralitatem assumendos. Is, in quem pars maior Compromissariorum inclinat, Generalis eodem ritu, qui supra, renuncietur.

287. Promulgata, terque proclamata electione, nemini licitum quidquam opponere sub anathemate latæ Sententiæ; alijsque grauibus pœnis, pro Electi, & Congregationis arbitrio.

NOTÆ

Super §. 1. Cap. 1. P. 3. Const.

Aduertendum, Caput primum Partis tertiæ Constitutionum in duos Paragraphos diuisum: tùm propter vberem rerum, quas complectitur, copiam, cùm propter earundem varietatem.

Ad 264. *Alex. VII. P. M. die* 28. *Apr.* 1660. *Const.* Cum sicut. *decreuit, Præpositos Generales, & quatuor Assistentes, in Capitulo Generali electos, ad Sexennium tantùm duraturos.*

a. *Propterea Capitulum Generale ab ipso Generali, anno ante Sexennii lapsum*

ipsum indicitur ; vt maturiùs in ea agenda preparentur . Quòd si per obitum vacet Generalatus, id Muneris *pręstat Vicarius .*

b. Si *Generalis moriatur intra primum triennium , hoc finito , Vicarius intimet Capitulum : Si verò post primum triennium obierit , statim Capitulum Generale intimetur , nisi fortè iam fuisset intimatum .*

c. *Quòd si scripto non fuerit nominatus Vicarius à Generali defuncto, sed* Primus *Assistens Vicariatus* Munere *fungatur ; huius loco, Assistens de Voto Collegarum cum Vicario duraturus eligatur .* Cap. Gen. 1686.

d. *Acta verò Capituli Generalis inchoenfur die 25. Apr. D. Marco Euangelistæ solemni ; quo tempore decernantur , quæ pro* Regulari *Obseruantia videbuntur statuenda ; ita verò , vt nouo Generali aliarum propositionum Ius relinquatur .* Cap. Gen. 1692.

e. *Nihil autem , vt plurimùm , in Capitulo Generali decernendum proponatur, quod seriò non fuerit in* Prouinciali *discussum ; prout etiam in Prouinciali, quod non fuerit in Localibus examinatum , priuatis quibusque literis, & supplicationibus reiectis .* Cap. Gen. 1671. Vide ad 291.

f. Pro *Decretis cuiusque Capituli*

Gene-

Generalis, antequam publicentur, maturiùs examinandis, Generalis electus statuat Congregationem quatuor Patrum sibi Assistentium, & Comitiorum Secretarij; qui scrutati difficultates, in ipsis Ordinationibus occurrentes, eidem referant enodandas: mox, quę definita fuerint, in ipso Capitulari Congressu publica fiant per eundem Secretarium: eisque, cum totius Capituli Actibus sub præcepto formali sanctæ Obedientiæ à Generali ferendo singuli subscribant. Ex Act. Capitul. Gen. 1683. & ex Consuetudine.

Ad 265. Habent in Capitulo Generali vtramque Vocem: Generalis, & in eius defectu Vicarius Generalis; Exgenerales, Assistentes Generalis, Procurator Generalis, Prouinciales, *& bini ex singulis* Prouincijs *Vocales.* * Vide ad 362.

Ad 266. Ad euitandam insuper confusionem quamcumque in propositionibus à Capitulo Generali discutiendis, singuli Prouinciales *cum suis Vocalibus ordinatim referant Capitula* Prouinciarum *cum eorum propositionibus, Capitulo Generali directis.* * Capitul. Gen. 1637.

a. *Diebus Generalium Comitiorum preliminaribus eligantur tres de gremio Capituli, ad excipiendas rationes à Generalis*

 nera-

nerali, Assistentibus, & Procuratore Generali super exactis Muneribus, iuxta Clem. VIII. Decreta de Reform. Reg. c. Nullus. n. 13. Cap. Gen. 1686.

a. *Electum nouum Generalem, nouosque Assistentes congregatos quilibet Prouincialis, & bini Prouinciarum Vocales conscientiosè informabunt de* Pro*uinciæ Personis, maximè verò de* Subie*ctis ad qualecumque Regimen idoneis; vt Electiones, propediem faciendæ, iuxta pondus meritorum instituantur. Quas quidem relationes quilibet Prouincialis proferat potissimùm ex authenticis Visitationum Actis circa mores, ætatem, indolem, Studia, tempus in Instituti Ministerio, siue in docendo quamcumq; Scientiam, vel literariam Facultatem, Nostrates, aut Exteros (Ità illigendum, quod præscribitur de Scholarum Piarum exercitio* ad 226.) *laudabiliter impensum, Zelum Obseruantiæ, & similia, ad plenam Personarum cognitionem.* * Vide ad 354. a.

Ad 267. *Electio noui Generalis semper facienda die 2. mensis Maij.* Cap. Gen. 1671.

Ad 269. *Conuicti de ambitu, tàm intra, quàm extra Religionem, ipso facto, & Iure vtraque Voce in perpetuum priuantur; qua pariter pęna damnantur conscij, si non reuelent.* Cap. Gen. 1641.

Quod

Quod etiam intelligendum de his, qui pro aliquo eligendo aliquem induxerint, vel sollicitauerint. *

a. *Propterea, ne pateat ad ambitum aditus, renunciatum est in perpetuum à Religione literis quibuscumque Apostolicis circa Nostratum electionem ad quascumque Dignitates, & Gradus in Religione consequendos.* Cap.Gen. 1637.

b. *Nullius pariter valoris habendæ literę Apostolicæ in fauorem supplicantium editæ, nisi libelli supplices fuerint priùs à Generali cum sibi Assistentibus subscripti; quatenùs per Sedem Apostolicam specifica eiusmodi subscriptionis derogatio non accedat.* Cap. Gen.1637. & 1641. *Quòd tertiò confirmatum in* Cap. Gen. 1659.

Ad 270. 271. *&* 272. *Generalis, seu Vicarius, ministrantibus duobus Primis Assistentibus pro Diacono, & Subdiacono, Sacrum solemne facit de Spiritu Sancto, Capitularibus omnibus in Superpelliceo assistentibus: & post Euangelium habetur prima Concio latina; ad quam quicumque idoneus, quanquam non sit* Vocalis*, pro libito consueuit à Generali deputari. Secunda verò in ipso Capitulari Congressu latinè quoque proferenda, per vnum ex Capitularibus ad nutum Generalis recitatur; & absoluto Sacro, dicentes hymnum,* Veni Creator Spiri-

tus, *bini processionaliter ad Aulam Comitiorum procedunt*. Ex Act. Capitulorum Gener. Vide Synopsim Rituum habendi Capitula.

a. *In fine cuiusque Capituli Generalis, & Prouincialis Sacrum solemne fiat de Sanctissima Trinitate pro gratiarum actione, Vocalibus in Superpelliceo assidentibus: & post Communionem intonetur Canticum:* Te Deum laudamus. Ex Act. Capit. & Synopsi Rit.

Ad 273. Constitutio probibens exitum ab Aula *Capitulari, post Vocales ad electionem conclusos, intelligenda est iuxta Iuris* Communis *dispositionem; excipiendo nimirùm casum necessitatis, & accessum Scrutatorum ad* Vocales *infirmos; qui quamquam præsentes in ea Domo existant, personaliter tamen Comitÿs nequeunt interesse; vt eorum suffragia suscipiant.** Vide ad 358. a.

Ad 276. Absolutionem à Censuris consueuit impertiri pro Canonica electione Præses *Capituli, Eminentissimus nimirùm Protector, vel Alius à Sede Apostolica Deputatus; quatenus adsit: secùs id* Muneris *præstat Generalis, vel Alius, qui præsidet*.

Ad 277. Pro electione Secretarÿ, Adiuncti, & Compromissariorum, vide ad 357. f. g.

a. *In Secretarios, & Adiunctos in*

Ca-

Capitulis Localibus *eligi possunt fruentes Voce tantùm actiua.* Cap. Gen. 1692.

b. *Electio Adiuncti declaratur de Capitulorum essentia in electionibus.* Cap. Gen. 1692. *nàm Secretarius, & Adiunctus necessariam Scrutatorum electionem supplent; imò ipsi sunt nostri Scrutatores, cum Superiore Capituli.*

Ad 278. *Protestatio, quæ ex Constitutionis præscripto à Vicario facienda est, de non excludendis admittendis, & de non admittendis excludendis, fit à Generali, si adsit, vel à Præside Capituli.*

Ad 279. *Præter iuramentum de aptissimo in Generalem eligendo, aliud etiam iuramentum in omnibus Capitulis per singulos Vocales in ipso Actionum Capitularium principio, statim post Personarum legitimationem, præmittitur, iuxta* Decr. pro Refor. Reg. *Clementis VIII.* nu. 36. *tenoris eiusmodi.*

a. Cum omni reuerentia Ego N. à S.N. inuocans testem Iesum Christum, qui est vera Sapientia Æterna, fateor à me electurum in præsenti nostro Capitulo, quos nouerim secundùm veritatem conscientiæ probiores, & magis idoneos; & in eodem omnia acturum, quæ vtiliora pro bono Religionis Regimine iudicauero; & quidquid actum, vel agendum erit, sub sigillo secreti conseruaturum: & sic iuro, tacto pectore. *Iu-*

b. *Iuramentum verò de secreto in Capitulis seruando, de grauioribus, & quæ ex natura sua sub secreto seruari debent, intelligendum.* Cap. Gen. 1686.

Ad 280. *Schedarum forma pro electionibus, in Synopsi Rituum Capitulorum describitur.*

a. *Sacris initiati, qui triennium à Sacerdotio, & septennium à Professione non attigerint, Voce tantùm actiua fruuntur, & in solis Capitulis* Localibus. Cap. Gen. 1637. Vide n. 265.

b. *Assistentes, & Procurator Generalis possunt ferre suffragium in Capitulis* Localibus*, ad negotia congregatis: quod pariter de Prouincialibus in Domibus suæ Prouinciæ declaratum.* Cap. Gen. 1686.

Ad 281. *Schedulam albam, inutilem, aut incertam adhibentes in suffragando, censeantur cessisse iuri suo, & tanquam extranei* Capitulo, *in Eligentium numero non computentur; eisque non computatis, deueniatur ad electionem; eo autem modo suffragantes ipso facto excommunicantur; & alijs pœnis arbitrio Præsidis Capituli mulctantur, si valeant cognosci.* Ex Act. Cap. Gen. 1637. & 1641.

Ad 282. *Vide Synopsim Rituum habendi Capitula.*

Ad 283. *Cum adest Eminent. Prote-*

ctor

ctor, seu Alius *Præses, nomine Sedis* A-*postolicæ Deputatus; Is Decretum electi Generalis pronunciat*, vt in Synopsi Rituum habendi Capitula .*

a. *Quòd, si absit* Præses Apostolicus, *accidat autem in Generalem eligi Vicarium Generalem, Decretum electionis facit Primus Assistens; qui si fortè sit Vicarius, & in Generalem eligatur, Secundus Assistens*. Cap. Gen. 1637.

Ad 285. *Quid, absoluto Capitulo Generali, pro gratiarum actione præstandum sit*, vide ad 270.

Ad 286. *Cum Clementis VIII. Decreta, ab Vrbano VIII. die* 25. *Iunij* 1699. *confirmata, præcipiant, vt in Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur; nostræ verò Constitutiones, à Gregorio XV. &* Alexandro *VII. approbatæ, prout* pag. 14. *dictum est, electionem Generalis per Compromissionem admittant* P. 3. c. 1. nu. 286; *& Capitulum Prouinciale ad formam Capituli Generalis; electionem verò Vocalis in Capitulo Locali per plura secreta suffragia fieri præscribant* P. 3. c. 4. nu. 361; *nulli dubium erit, eiusmodi electionem per Compromissarios in Religione nostra pro prædictis Capitulis tantùm Prouinciali, & Generali vigere.* *

Com-

2. *Compromissarij ergo in Capitulis Prouincialibus, & Generali quinque per Schedulas ex numero Vocalium per singula distincta scrutinia eliguntur. Porrò ad eorum electionem sufficit Votorum pluralitas. Quòd si suffragiorum paritas detur, pro electo habeatur antiquior in Professione.* Cap. Gen. 1686.

Ad 287. *Easdem omninò pœnas, à Constitutione nostra contra opponentes Generali Electo, terque proclamato decretas, subeat, qui quemlibet alium Superiorem in Religione nostra Electum recusauerit,* *

De Capitulo Generali.

CAPVT I.

§. 2.

288. Sexto quoque anno, seu citiùs, arbitrio Generalis, cogenda Congregatio Generalis pro rebus agendis, quas Generalis cum Assistentibus definire non potest.

289. Non est in ea necessaria inclusio Vocalium per Custodem: sed fiat expeditissimè.

290. Generalis habet in ea duo suf,

ſuffragia, & præcedentiam, cæteris paribus.

291. Miſſarum Sacrificia, & Preces particulares pro felici eius conuentus exitu per Generalem indicuntur.

292. Res in primis Deo commendatæ proponantur, ventilentur, & ſcripto, ad maturius omnium conſilium, tradantur.

293. Si tantopere diſcrepent Patres, vt Rerum concluſio dubia videatur; quatuor ex Vocalibus per omnium, vel ferè omnium ſuffragia, eligantur, qui cum Generali definiant.

294. Quidquid à maiori Vocalium parte fuerit ſtatutum, ab omnibus, tanquam cælitùs datum, admittatur.

295. Generalis, infirmitate præpeditus, poteſt alium loco ſui eiuſmodi Congregationi præficere.

296. Quæcumque decernuntur, ordinatim ſcribantur, & coram omnibus legantur, factâ iterum Vocalibus veniâ dicendi quid ſentiant.

297. Difficultates, quæ ſuper Decretis emergunt, Generali cum Definitoribus committantur.

298. Omnia definita, per Secreta-

rium

rium in libro regerantur, postmodum publicanda.

299. Generalis ob causas grauissimas potest à Munere suo amoueri per Congregationem Generalem, ab Assistentibus, & Prouinciali Romano, de voto trium viciniorum Prouincialium, indicendam.

300. Votum trium Prouincialium viciniorum quærendum per literas à tribus saltem Assistentibus subscriptas: quibus certiores facti de causis Generalis deponendi, solidè respondeant, an sit proterea Congregatio Generalis conuocanda; quòd si maior Assistentium, & Prouincialium pars consentiat, conuocetur.

301. Congregationem de Generali abdicando non ingrediatur Generalis, nisi vocatus.

302. Causæ Generalis deponendi, sunt crimen hæresis, carnis incontinentia, secordia in Regimine, conniuentia circa Subditos, cum scandalo in peccatis insordescentes, & quodlibet crimen, capitis, vel depositionis pœnâ puniendum.

303. Ad solos Assistentes cum Prouinciali Romano spectat Causæ formatio contra Generalem; cognitio verò ad totam Congregationem.

304. Te-

304. Testes contra Generalem; non modò contestes, verùm etiam bonæ famæ sint, oportet.

305. Siquid per calumniam, odium, & cupiditatem quis contra Generalem deferat, tanquam paternæ famæ detractor, debitas luat pœnas, ab eisdem Assistentibus infligendas.

306. Primus Assistens Causam proponit, & probationes criminis producit.

307. Vt crimen satis probetur, accersito in Congregationem Generali summaria, & simplex defensio concedatur.

308. Mox, Causâ maturè discussâ, si duæ partes ex tribus consenserint, amouendum; vocatus moneatur, vt sponte abdicet.

309. Si statim Generalis suo Muneri cesserit, cessio admittatur.

310. Porrò Primus Assistens in virtute sanctæ Obedientiæ præcipiat, quatenùs acta de Generali amouendo secretò celentur, & sponte Munere abdicasse dicatur.

311. Ad noui Generalis electionem, his peractis, de more deueniendũ.

312. Duabus ex tribus Congregationis partibus in amotionem non consentientibus, seu culpa non satis probata, Primus Assistens Omnium

no-

nomine vocatum Generalem, verbis antea in eó Cœtu ſtatutis aduertat.

313. Is humiliter audiat; non ſe excuſet; ſed emendationem polliceatur.

314. Quidquid in ea re factum fuerit, ſub Obedientiæ præcepto celandum.

315. Ne fruſtra Patres conueniſſe videantur, aliqua de Regulari Diſciplina decernant; vt ad ea congregati credantur.

316. Generalis, ob ætatem, ſeu valetudinem ad Regimen affectus inhabilis, ab Aſſiſtentibus, & Prouinciali Romano admonendus, vt ſibi Coadiutorem eligat.

317. Reluctante Generali Coadiutorem eligere, Aſſiſtentes cum Prouincialibus Romano, tribuſque vicinioribus eum eligant per ſecreta ſuffragia.

318. Vſque ad noui Generalis electionem, omnia cum Aſſiſtentibus Coadiutor moderetur.

NO-

NOTÆ

Super §. 2. Cap. 1. Par. 3. Const.

Ad 288. *Postquàm* Alex. *VII.* *Const.* Cum sicut. *die* 28. Apr. 1660. *sanxit Generalatum* Sexennio *absoluendum, ea tantùm propterea* Congregatio *Generalis habetur, in qua cum noui Generalis electione, res pariter totius* Religionis *definiuntur.* *

Ad 291. Ad *impetrandam rebus, in Congregatione Generali definiendis, opem diuinam, consueuerunt in singulis Domibus dietim, ab Intimationis publicatione, recitari* Litaniæ *Lauretanæ; celebrari binæ saltèm in singulos menses Missæ de Spiritu Sancto (poterit earum vice addi in Missa diebus congruis Collecta de Spiritu Sancto,) & applicari per* Clericos, *& Operarios binæ pariter Communiones: ipsa verò die, qua electiones haberi consueuerunt, de Ordinariorum facultate exponitur Sanctissimum Sacramentum in forma Orationis quadraginta horarum per triduum duraturæ.* Ex Act. Cap. Gen. 1637. & 1641.

Ad 292. *Quisquis aliquid habuerit pro Personis, pro Domibus, pro sua* Prouincia, *seu etiam pro tota* Religio-

ne in CongregationeGenerali proponendum, quod non fuerit in Prouinciali Capitulo probatum, illud scribat, & se subscribat, detque alteri ex Vocalibus; cuius erit negotij conclusionem penes Generalem, aut Congregationem promouere. Ex Act. Cap. Gen. 1641.

Ad 293. Vide Notas ad 297.

Ad 294. *Nedùm vigore Constitutionum nostrarum, verùm etiam ex Ordinum Mendicantium Priuilegijs, Religioni nostræ concessis, facultate legislatiua fruuntur Capitula nostra Generalia; quorum Decreta statim Nostrates omnes, vel ipsum Generalem respectiuè obligant.* Vide ad 122. & Parænesim in prinipio huius Synopsis num. VI.*

Ad 297. *Plura Capitula Generalia, Generali, cum sibi Assistentibus pro tempore, facultatem interpretandi, declarandi, & definiendi super eiusmodi Decretis renouant; indicendò quibusque, quatenùs his Interpretationibus, Declarationibus, &c. acquiescant.* Cap. Gen. 1617. 1677. 1683. &c.

Ad 298. *Prouinciarum Præpositi teneantur publicare in singulis Prouinciæ Domibus Decreta singulorum* Capitu*lorum Generalium, eorum exemplaribus authenticis ad singularum* Archiua *directis*. Cap. Gen. 1637. & 1641.

Ad 311. Vide omnia, quæ præscribun-

buntur in Conft. à num. 263. vfque ad num. 287. cum Notis ibidem, & in Synopfi Rituum habendi Capitula.

De Miniftro Generali.

CAPVT II.

319. Miniftri Generalis eft Rempublicam Religionis feduló promouere: quòd ea fit eius Fidei, Confilio, & Regimini concredita.

320. Sit ætate maturus, habilis ad Regimen, & virtutum omnium exemplar.

321. Multa Charitate, Patientiaque Subditos moderetur.

322. Quatenùs per valetudinem liceat, communem vbique Difciplinam feruet.

323. Altera fimplex cella, & Operarius à feruitijs permittitur Generali.

324. Vita durante, non autem ad aliquod tempus determinatum, eligendus.

325. Domorum, & Perfonarum omnium habeat catalogos, fingulis annis renouandos.

326. Nominat scripto Vicarium; qui post obitum suum suas vices gerat vsque ad Successoris electionem.

327. Si Generalis, Vicario innominato, moriatur, Primus Assistens Religionem administrat.

328. Magistros Nouitiorum, Prouinciales, & Visitatores instituit, seu confirmat; vel per aliorum electionem amouet.

329. Cauet, ne indigni ad Sacros Ordines, & ad Confessiones audiendas admittantur.

330. In Ecclesijs nostris tantùm, Conciones haberi permittit à Nostratibus in Aduentu, & Quadragesima.

331. Eligit Procuratorem Generalem, qui Romæ semper sit ad gerenda Religionis negotia; quibus nemo se immisceat sinè Generalis facultate. Quidquid autem susceperit agendum, antequàm aggrediatur, simpliciter conferat cum Generali: dietimque, quid actum sit, si alicuius momenti fuerit, eidem communicet.

332. Generalis ex vehementi ratione dispensat super Constitutionibus; quod etiam Prouincialibus in sua Prouincia, & Rectoribus in suis Domibus quandoque tantùm, & cum quibusdam indigentibus licitum; qui tamen in grauioribus consulant Genera-

neralem: at cauendum, ne diſpenſationum prætextu, abuſus irrepant.

333. Poteſt hæreſi, & carnis vitio laborantes à Votis abſoluere, & ſecretò dimittere: item inquietos, & ſchiſmata contra Conſtitutionem aliquam ſolicitantes.

334. Apoſtatæ ipſo facto manent Suſpenſi, & celebrando, Irregularitatem incurrunt; ad quos coercendos brachium ſæculare, ſi opus fuerit, inuocandum.

335. Eiſdem in carcerem detruſis, vt reſipiſcant, ſedulò cum Patientia Charitas adhibenda.

336. Quiſquis ita per annum ſeſe præſtiterit incorrigibilem, dimittatur.

337. Sacerdotes eiecti, tandiu cenſeantur Suſpenſi, donec habeant vnde viuant.

338. Pœnæ delinquentibus impenſæ, aliorum innocentiam tuentur.

N O T Æ.

Ad 319. *Generalis cum quatuor ſibi Aſſiſtentibus* Voce *actiua*, & *paſſiua donatur*; & *Corpus Religionis repræſentat*. *Gregorius* XV. *Conſt.* Apoſtolici Muneris. *die* 28. *Apr.* 1622.

Ad 324. *Alex.* *VII.* *P.* *M.* *Conſtitut.*

Cum ſicut.28. *Apr.* 1660. *decreuit, vt Præpoſitus Generalis, & quatuor Aſſiſtentes eligantur ad* Sexennium *tantùm. Quod à Clem. IX. confirmatum. Conſt.* Ex iniunc̃to.23. *Octob.* 1669.

a. *Cum Aſſiſtentibus, quanquam res grauioris momenti non occurrant, debet Generalis in ſingulas hebdomadas conuenire.* Cap. Gen. 1637.

b. *Semper ſolicitus Generalis exiſtat circa Obſeruantiam.* Cap. Gen. 1659.

c. *Item circa Prouinciarum Studia; ne vlla ratione intermittantur; ſed illarum Alumni ad ipſa gradatim promoueantur.* Cap. Gen. 1665.

d. *Cum quatuor ſibi Aſſiſtentibus debet reſidere in Domo S. Pantaleonis de Vrbe. Alex. VII. Conſt.* Cum ſicut. *die* 28. *Apr.* 1660. *& Clem. IX. Cõſt.* Ex iniunc̃to. 23. *Octob.* 1669.

e. *Exgenerales (eo nomine appellantur Generales, expleto Munere) habent locum immediatè poſt ipſum Generalem vbique; gaudentque voto, tàm in Generalibus, quàm in Prouincialibus Capitulis, eius* Prouinciæ, *in qua reſident. Eiſdem indultum, quatenùs Domum, & ſocium Operarium, durante vita, ſibi eligant.* Cap. Gen. 1665. *Inſuper vni ſubiacent Generali.* Cap. Gen. 1671. & 1692. *Vbique ante actuales Aſſiſtentes locum habent.* Si verò *plu-*

res

res Exgenerales in vnum conueniant, ordinem Professionis inter se obseruent. Illis etiam permittitur, vt Generali proponant Rectorem eius Domus, quam sibi elegerint, firmis remanentibus omnibus eorundem Priuilegijs, aliàs impertitis. Cap.Gen.1692.

Ad 328. *Ex quo Assistentes voto decisiuo in Superiorum omnium electionibus, deputationibus, ac mutationibus donati sunt abAlex.VII.Cõst.*Cum sicut; *& à Clem. IX. Const.* Ex iniuncto; *facta per GeneralemEligendorum propositione, de Assistentiũ suffragioSuperiores eliguntur*. Vide ad 339. *De Superioribus primi, & secundi Nouitiatus*, vide ad 26.a. *quorum electionem, de Assistentium, Procuratoris Generalis, & Prouincialis Romani Consilio, Generali commisit ClemensX. Decr.* Ad propagandam. 18. *Martij* 1676.

a. *Indè tamen die* 12. *Iunij* 1693. *Congr. Episc. & Regul. censuit, posse Assistentibus Generalis competere Votum decisiuum in electionibus etiam Superiorum pro Domibus primi, & secundi Nouitiatus, non obstantibus quibuscumque. Quo Decreto* Procurator *Generalis, & ProuincialisRomanusnon sunt suffragio suo consultiuo priuati*.*

b. *Cum nostra Constitutio nullum determinatum tempus assignet pro duratione*

tione Prouincialium , & Rectorum, aut Superiorum Localium*;ideoque literæ Patentes à Ven. P. nostro Fundatore, aliæ ad annum, aliæ ad biennium, aliæ ad triennium, aliæ ad beneplacitum duraturæ, expeditæ fuerint; quemadmodum in Authographis penes Archiuum nostrum Generale compertum est; idcircò pro perenni Regiminis Vniformitate statuitur, vt imposterùm eiusmodi literæ Patentes Prouincialium, & Viceprouincialium ad triennium, Rectorum, verò, aut Superiorum Localium ad annum duraturæ, expediantur; saluis aliàs Eligentium Iuribus, & facultatibus.* *

c. *Prædicti autem Superiores, ad determinatum tempus electi, tempestiuè de imminenti; Gubernij sui termino Generalem præmoneant; & donec cuiusque Successor accedat, quamuis præfixum in literis Patentibus tempus fuerit elapsum, in Regimine perseuerent.* *

Ad 329. Indultum Prouincialibus, quatenùs valeant Dimissorias, pro Minoribus Ordinibus tantùm, Clericis impertiri. Cap. Gen. 1677.

Ad 330. Esse penes Generalis arbitrium, concedere facultatem extra nostras Ecclesias tempore Aduentus, & Quadragesimæ concionandi, declarauit, nemine discrepante, Cap. Gen. 1686; *dummodò concurrant Requisita relata* Cap. 7. P. 3. per totum. Ad

Ad 331. Procurator Generalis pro tempore, habet locum, & Vocem in Capitulo Generali. Cap. Gen. 1637. & 1659. *Quoad ordinem, in Vrbe tantùm* Prouincialibus *præcedit*. Cap. Gen. 1683. *Prębet cum Assistentibus, & Prouinciali Romano consilium in creatione Superiorum, & Magistrorum Nouitiorum, & Familiarum in Domibus primi & secundi Nouitiatus. Decr. Clem. X. die 18. Martij* 1676.

a. *Gaudet suffragio in Capitulis Locorum, ad negotia institutis*. Cap.Gen. 1686.

b. *Eius Muneris est negotia quęcumque* Religionis *in Romana Curia promouere; in primis autem apud* Sa-*cras Congregationes; ne quid alicubi in Religionis perniciem fiat: supplicat suis temporibus pro facultatibus Admittendorum, iuxta numerum cuique Prouincię à Sacr. Congreg. super Statu Regularium assignatum in Decr. Clem.* X; & *eiusmodi*.

c. *Eiusdem est quascumque Religionis contributiones assignatas, & assignandas exigere; de exactis testimonia scripto Rectoribus dare; nec non earum, sub duplici claue, quarum vna sit penes Generalem, altera penes se, custodiendarum rationem in Capitulo Generali reddere*. *

 d.Pro-

d. *Procurator Generalis, post Munus absolutum, Vocem habet in Capitulis Prouincialibus eius Prouinciæ, in qua fuerit collocatus, in loco tamen suæ Professionis, vel Prælationis inter Vocales.* Cap.Gen. 1665.

Ad 332. Indulta, ratione Studiorum, Generali pro tempore, facultas dispensandi super secundo Probationis anno cum Clericis Nouitijs tantùm, per Decr. Sac. Congreg. Conc. ab Alex. VIII. in forma Commissaria sub die 23. Ianuarij 1691. Eminentissimo Card. Gaspari Carpineo Protectori: qui, seruatis seruandis, die 29. eiusdem per Acta Vincentij Octauiani sanxit eam facultatem habere locum.

a. *Præsente in eadem Domo Superiore maiori, minor non dispenset in his, quæ tangunt Communitatem.* *

Ad 334. Cum Apostatis, & Eÿciendis agendum iuxta sanctionem. Vrbani VIII. Decreta, propterea edita die 21. Septembris 1624. & Innoc. XII. P.M. data die 24. Iulij 1694. Quibus carcerem annuum, ad probandam Incorrigibilitatem, redigit ad semestrem continuum; & facultatem, singulis Capitulis Generalibus tantùm indultam, eligendi sex ex grauioribus Religiosis, de quorum consilio, & assensu eÿci debeant Incorrigibiles, extendit etiam ad singulos

Pro-

Prouinciales Congressus ; quatenùs cum Prouinciali huiusmodi Causas Electi cognoscant , & accedente Generalis , quoad sex Electos, & Causas Eijciendorum, approbatione , contra Eijciendos definiant ; firmis , quoad cętera , prædictis Vrbani VIII. Ordinationibus.

a. *Apostatę, ad Religionem reduces, publicè per Superiores absoluantur à Censuris , & posted debitis pœnis damnentur* . Cap.Gen. 1641. & Can.pęn. cap. 7.

b. *Pro singulorum Apostatarum, ad Vrbem confugientium, & Carceratorum victu ea Prouincia , ex qua facti sunt profugæ , iulium in singulos dies de more contribuat* . Cap. Gen. 1671.

c. *Domus autem , in quibus deliquerint, in primis persoluant . Quòd si, præ tenuitate reddituum , in toto nequeant , reliquæ ditiores illius Prouinciæ à Prouinciali cum Assistentibus taxentur* . Cap. Gen. 1686.

d. *Carcer autem in secretiori singularum Domorum parte , seu saltèm cubiculum aliquod ad modum Carceris præparatum vbique sit , quod possit vecte deforis claudi ; nullaque adsit fracturæ , aut correspondentię suspicio* . Cap.Gen. 1692.

e. *Detentis in carcere nihil ferreum permittendo , solita ex paleis culcitra*

cum flagulis necessarijs sternatur. Liber *aliquis ad lectionem spiritualem opportunè à Confessario deputato Reis prouideatur. Item, aliquid ad tempus religiosè transigendum, prout Superiori videbitur. Verùm nemo in carcerem detrudatur; nisi qui fuerit grauiorum criminum obnoxius, iuxta Canonum pœnalium præscriptum.* Cap. Gen. 1692.

f. *Processus iuxta ritum Religionis (qui seruandus, donec aliàs à Sede Apostolica decernatur, ad formam Decreti de Eiectis, & Eijciendis, editi Authoritate SS. D. N. P. M. Innocentij XII.* 1. *Martij* 1693; *Romæ verò publicati* 24. *Iulij* 1694.) *summariè, simpliciter, ac de plano fiant; sola facti veritate inspecta, non verò per apices Iuris; quemadmodum à pluribus Summis Pontificibus pro Regularium Causis definitum; præsertim à Bonifacio VIII. Const.* Ad augumentum; *à Iulio II; Gregorio XIII; & Alijs; quorum Indultis per communicationem Priuilegiorum fruimur; cauendo solùm, ne deficiant in substantialibus. Is itaque ordo, vsu acceptus in Religione nostra, vbique habeatur. Habita delicti alicuius notitia, seu informatione, Superior per se, vel per Delegatum, cum Actuario, requisito in primis actuali iuramento, ad examina testium progrediatur. Inspecta facti*

veritate per eosdem contestes, Reum (præmisso paritēr iuramento de veritate dicenda; factaque mox interrogatione, an aliquem inimicum habeat, cum causis inimicitiæ, in Processu exprimendis) Constituat; eumque super obiectis, suppressis testium nominibus, examinet. Qui si delictum humiliter fateatur, seu defensionibus renunciet, mitiùs tractandus. Si verò, non obstantibus testium fide dignorum contestationibus, negauerit; ad veritatem eliciendam, ieiuniis, aliisque pœnis clausus maceretur. Confitentibus, mitigatæ ordinariæ Canonum pœnæ infligantur; conuictis autem per legitimos contestes, sed culpam negantibus, extraordinariæ. Ad Sententiam *tamen definitiuam antequàm deueniatur, defensiones præmittantur, citando Reum ad eas faciendas per se, vel per alium Nostratem intra tempus, à Iudice per terminos peremptorios prudenter definitum, faciendas. Quo facto, formetur Sententia; quæ Reo intimetur; & Actis inseratur:* * Vide ad 226. a.

g. *Audentes vti Patronis, & Actoribus externis in Causis ad Religionis, aut etiam Prouinciarum Superiores pertinentibus, si fuerint Sacerdotes, triennio Voce actiua, & passiua priuantur; si Clerici, triennio pariter ad vlteriores Ordines non promouentur; Operarij denique*

nique per tres annos vltimum habent locum in Ordine suo vbique. * Cap. Gen. 1686.

h. *Ex Religiosis autem Domus, in qua Reus constituitur, huius arbitrio permittantur Patroni.* *

Ad 335. Propter Incorrigibiles in carcere detentos ad meliorem frugem reducendos, Operarius exemplaris, & boni consilij, Custos constituatur; qui dictis, & factis eos iuuet. Præterea duo Monitores, qui sint Sacerdotes*, bis saltèm in singulos menses ad eos mittantur; vt ad resipiscentiam ipsos adhortentur; & cum Custode, tempore carcerationis labente, iurati deponant, quam in illis dispositionem compererint, occasione accessuum, & adhortationum; & an vera præbeant emendationis argumenta. Confessarius præterea probus eisdem prouideatur; qui singulis pariter hebdomadis eos inuisat, cum interdicto tamen sese quocumque modo in eorum Causis immiscendi.* *

a. *Ad Eiectionem denique non procedatur, nisi seruata forma Decretorum Vrbani VIII. & Innoc. XII. de Apostatis, & Eijciendis, vt præfertur* ad 334.

De

De Aſſiſtentibus.

CAPVT III.

339. Quatuor eliguntur Aſſiſtentes à Capitulo Generali per ſecreta ſuffragia, in leuamen Generalis; ne ſolus rebus agendis obruatur.

340. Virtutum omnium ſpecimine, rerum in primis Regularium polleant experientia.

341. Generali filialiter aſſiſtunt; & præbent conſilia; eius valetudinem tuentur: & per Admonitorem, ſeu Confeſſarium, ab ipſo electum, ſi opus fuerit, eundem ſpiritualiter iuuant.

342. Aſſiſtenti grauiter delinquenti, ſeu vita functo, alius per Generalem ſufficitur.

343. Reſident Romæ penes Generalem: eorum tamen aliquis, ad breue tempus, ex graui cauſa, extra Vrbem poteſt ordinari.

344. Vnus ex ipſis idoneus in Secretarium aſſumi poteſt à Generali.

CAPVT IV.

345. Aucta Domibus Religio, in Prouincias à Generali diuidatur; eisque Prouinciales præficiantur.

346. Hi Charitatem, Mansuetudinem, & Benignitatem Iesu Christi præseferant; exemplo magis, quàm verbo, sibi Subditos gubernent.

347. Habeant suos Consultores; quorum confirmationem à Generali postulabunt.

348. Nullas ferant Leges, aut latas abrogent, inconsulto Generali, nisi rei grauitas dilationem prohibeat; quòd illicò eidem significent.

349. Ordinationum à Generali editarum promouere obseruantiam tenentur; easque, ad bonum Regimen spectantes, regestas conseruent.

350. Archiuum, in quo Prouinciæ documenta, Sucessoribus consignanda, collocentur, Prouincialis in Loco Prouinciæ commodiori componat.

351. Licitum Prouincialibus Vicarium vsque ad noui Prouincialis crea-

creationem ſcripto relinquere; maximè ſi plurimùm diſtent ab Vrbe, vbi Generalis reſidere debet.

352. Si poſcat neceſſitas, donec à Generali prouideatur, Magiſtros Nouitiorum, & Rectores valeant mutare, vel alios vita functis prointerim ſufficere.

353. Debitum ordinem Prouinciç in Scholis, claſſibus, libris perlegendis, & ſpiritualibus exercitiis tueantur.

354. Singulis annis, ad ordinem, & Obſeruantiam continendum in Domibus, per ſe Prouincias viſitent, ſeu legitimè impediti, Viſitatorem expediant.

355. Euchariſtiam in primis, Eccleſiam, Sacrarium, & Valetudinarium luſtrent. A Superioribus ſcitentur, an aliquis exceſſus, an ſuſpectæ familiaritates, an Catecheſis in Scholis, & Eccleſia habeatur? an Infirmis Charitas, & eleæmoſinç pauperibus impendantur? A Subditis autem, quid de Superiore, Alijſque ſentiant, percunctentur. Officinas tandem, cubicula, & lectos, ne quid ſuperfluum & indecorum habeant, rimentur.

356. Tertio quoque anno, de Generalis facultate, Capitulum Prouinciale pro grauioribus Prouinciæ nego-

gotijs tractandis, tempore minùs incommodo conuocent.

357. Conueniat ad Comitia Prouinciæ quilibet in ea Rector, cum Socio, per plura secreta suffragia in singulis Domibus electo.

358. Locorum Præpositi, legitimè impediti, ad Prouinciæ Congressum, loco sui, alium expediant.

359. Præses, qui Capitulis Prouincialibus intersit, potest à Generali ordinari.

360. Cuiusque Prouinciæ Comitijs, vel Prouincialis, vel, eo impedito, Primus eiusdem Assistens præsideat.

361. Prouinciarum Capitula eodem Ritu celebrentur, quo Generale.

362. In eiusmodi Prouinciarum Cætibus eligantur duo Vocales, ad Capitulum Generale progressuri.

363. Ibi per Prouinciales confirmantur, vel abdicantur Confessarij, Concionatores, & Lectores; dummodò ab ipso Generali non fuerint approbati: & Familiæ disponuntur.

364. Deputent in singulis Domibus rerum spiritualium Institutorem: cuius sit cum Superiore Obseruantiam tueri, & præesse Iunioribus, ac si esset Magister Nouitiorum.

365. Iunioratus ad triennium, & vltra, Superiorum arbitrio definitur.

366. Rectores eligunt Sacristas, Bibliothecarios, Infirmarios, Ianitores, Custodes Cænaculi, Vestiarij, & Dormitorij; Excitatores ad Orationem, ciborum Emptores, & Quæstores eleæmosynarum; aliquos pariter Magistros pro interim, donec à Prouinciali prouideatur.

367. Semel singulis hebdomadis Rectores ad Prouinciales; singulis autem saltèm mensibus Prouinciales ad Generalem de rebus occurrentibus scribant.

368. Liberum cuique, cum opus fuerit, scribere ad Generalem; cuius literæ à nullo aperiantur, nisi ab eo, cui fuerint inscriptæ.

NOTÆ.

Ad 345. *Si Generali expediens non videbitur nouæ Prouinciæ erectio, poterit Viceprouincia ab eodem institui, & Prouinciæ sibi benè visæ aggregari; eique Viceprouincialis præfici, cum Priuilegio conueniendi ad Comitia prędictæ Prouinciæ, tanquam Vocalis; & vtendi Prouincialium Iuribus in sua Viceprouinciæ Domibus regendis: locum autem habeat vbique immediatè supra Rectores, & Assistentes Prouincialis.*

At

At Viceprouinciales inter se antiquitatis Viceprouinciarum ordinem seruent. Qui verò in tota Prouincia vices Prouincialis gerit, Vicarius Prouincialis appelletur. *

a. Prouinciales, prout reliqui Superiores, de consilio, & Voto Assistentium à Generali eliguntur. Alex. VII. Const. Cum sicut. & Clem. IX. Const. Ex iniuncto. A solo Generali cum suis Prouincijs dependent. Capit. Gen. 1637. Vide ad 339. f.

b. Singuli Prouinciales in singulis Domibus Clausuram definire tenentur, ad formam Sacrorum Canonum, & Constitutionum Apostolicarum. Capit. Gen. 1677.

c. Prouinciales nullo quęsito colore à suis Prouincijs egrediantur; verùm ibi resideant in Locis ad correspondendum cum Generali, totaque Prouincia opportunioribus. Cap. Gen. 1637.

d. Eorum pariter curę commissum, vt in sua Prouincia Humaniorum Literarum, Arithmeticę, Characterum, Matheseos, Philosophiæ, atque Theologiæ Moralis, & Scholasticæ Studia, ad Generalis præscriptum, promoueant; attendantque, ne vlli, nisi ex causis suo loco recensitis, eadem differantur; seu intermittantur. Ex Cap. Gen. 1665.* Vide ad 248. & ad 252. a. & seq.

e. *Interdictum* Prouincialibus,*trans-mittere Subditos extra Prouinciam, in-consulto Generali ; & Rectoribus,in alienam Domum , inconsulto Prouinciali* . Cap. Gen. 1677.

f. *Declaratum* , Prouinciales *posse ferre suffragium tantùm in Capitulis Locorum suæ Prouinciæ, ad negotia congregatis* . Cap. Gen. 1686.

Ad 346. Vide 138; & ad 138.

Ad 347. Vide ad 9. e. & ad 13.

a. *Assistentes Prouincialis votum habent in Capitulo Prouinciali , & locum ante Rectores,eo durante Capitulo*. Ex Cap. Gen. 1665.

b. Suos *Assistẽtes initio Regiminis quisque Prouincialis Generali nominat ex aptioribus suæ Prouinciæ , qui frequentiùs penes se possint residere* . Cap. Gen. 1683. *Non sint autem vnà Rectores, nisi expressa Generalis Dispensatio ex causis benè visis accedat* . Cap. Gen. 1692.

c. *Declaratur*, *Prouincialium Consultores habere suffragium decisiuum , secretò præstandum , in Vicerectorum, & Promagistrorum Nouitiorum nominationibus ; Confessariorum pro Sæcularibus , Lectorum , & Concionatorum deputationibus; prout in admissione Nouitiorum , & in Criminalibus ; in reliquis consultiuum tantùm* . * Ex Cap. Gen. 1692. *Propterea virtutibus , &*

do-

doctrina emineant. Cap. Gen. 1637. Vide ad 9. d. e.

d. *Si per accidens* Prouincialis *non habeat secum sibi* Assistentes, *per literas eorum consilia requirat*. Reg. Prou. n. 2.

Ad 349. *Tenentur* Prouinciales *in singulis* Prouinciæ *Domibus, non tantùm publicare, sed in primis attendere, vt obseruetur* Capitulorum *Generalium Decreta, quæ vigent; horum exemplaria authentica, in* Archiuis *conseruanda, ad easdem Domos transmittedo*. Capit. Gen. 1637. Vide pag. 33.

Idem de Generalium pro tempore Ordinationibus. * Vide n. 349.

Ad 350. *Archiuum* Prouinciæ *fiat in ea Domo, vbi frequentiùs* Prouincialis *residere consueuit: Ibidem autem asseruentur Ordinationes Generalis, & libri rerum, quæ ad* Gubernationem, *& vsum* Prouinciæ *communem pertinent; vt valeant Successoribus tradi*. Reg. Prou. nu. 6.

a. *Superiores quicumque maiores, & minores tenentur* Archiuum *Successoribus consignare, cum respectiuis rerum omnium Inuentarijs, alijsque, ad Officium spectantibus, intra quindecim dies*. Cap. Gen. 1671. Vide ad 226. e.

b. *In* Archiuis Localibus *per seorsiuos libros, vel capita, sit regestum Documentorum omnium Fundationis, accessus*

cessus , & recessus Superiorum, *& Subditorum ; obitus Nostrorum, Renouationis Votorum , Decretorum Cœtuum Generalium , & Prouincialium , Ordinationum* Generalis , *Epistolarum notabilium eiusdem , & Prouincialis ; Visitationum , & earum Ordinationum ; Lectionis tempestiuæ Bullarum cum duorum* Sacerdotum *fide* . Cap.Gen. 1692. *Rerum memorabilium , & quorumcumque Actorum* Capitularium *eius Domus, semper à maiori saltèm parte Capituli subscriptorum* : Cap. Gen. 1637: *& eorum , qui Filiatione Religionis donati fuerint . Quæ quidem Filiatio, nisi probata causa à Generali , vel saltèm Prouinciali in sua Prouincia , aut Viceprouinciali in sua Viceprouincia , nulli omninò tradatur ; aliàs inualida censeatur* . *

c. *Archiuum , tàm* Locale , *quàm Prouinciale , aut Generale duplici diuersa claue custodiatur ; quarum vna sit penes Rectorem , altera penes Archiuistam , seu, quod idem est, Secretarium Domus , si de Locali ; si de* Prouinciali , *vna penes Prouincialem , altera penes vnum ex suis Assistentibus ; si de Generali agatur,eius custodia vni ex Assistentibus, &* Secretario *suo à* Generali *committenda* . * Ex Cap. Gen.1637.

d. *In omnibus Archiuis Documen-*

ta

NOTÆ.

Ad 339. Quatuor Assistentes Generalis semper eligendi erunt in Comitijs Generalibus, cum Generali; cum eodem ad Sexennium tantùm duraturi. Alex. VII. Const. Cum sicut. *die 28. April.* 1560. *& Clem. IX. Const.* Ex iniuncto. *Vni Generali subsunt.* *

a. *Votum habent decisiuum cum Præposito* Generali *in electionibus, deputationibus, & mutationibus quorumcumque Superiorum. Item in* Causis, *& Sententiis criminalibus; nec non in quibuscumque aliis* Actibus, *qui ex* Con*stitutionibus Religionis, vel Decretis* Capitulorum *Generalium fieri, seu expediri debent à Præposito* Generali, *& Assistentibus. In reliquis consultiuo tantùm gaudent suffragio. Alexand. VII. Const.* Cum sicut *die* 28. *Apr.* 1660. *& Clem. IX. Const.* Ex iniuncto. 23. *Octob.* 1669.

b. *Sunt etiam cum Procuratore* Ge*nerali, & Prouinciali Romano Ordinarij Examinatores Admittendorum ad Habitum in Romana Prouincia.* Vide ad 9.

c. *Ferunt vbique suffragium in* Lo*corum* Capitulis *ad negotia; quemadmodum Procurator* Generalis, *& Pro-*

uin-

uinciales in Domibus suæ Prouinciæ Cap. Gen. 1686.

d. *Prouinciæ, seu Prouinciales nullo pacto ab aliquo ex Assistentibus dependeant, sed à solo Generali.* Cap. Gen. 1637.

Ad 342. *Causæ deponendi Assistentem sunt eędem, propter quas Generalis potest deponi. Eas autem habes recensitas* in Const. n. 302. *

Ad 343. *Assistentes resident in Vrbe, in Domo S. Pantaleonis, cum Generali.* Alex. *VII.* & Clem. *IX.* Ibid.

a. *Plures, quàm vnus ex Assistentibus, non absint Roma: quod etiam vni vix permittendum; nisi ob rei alicuius momentum aliter* Generali *cum reliquis Assistentibus videatur.* Cap. Gen. 1637.

b. *Assistentes* Generales *proximè præteriti, durante Capitulo Generali, habent locum post nuperrimos in eodem electos: alibi suæ Professionis, vel Prælationis.* Cap. Gen.. 1665.

c. *Assistentes præterea Muneribus absoluti Vocem habent in Capitulis Prouincialibus eius Prouinciæ, in qua fuerint collocati; locum tamen obtinent suæ Professionis inter Vocales, nisi alio Gradu potiantur.* Cap. Gen. 1665.

De

CAPVT IV.

345. Aucta Domibus Religio, in Prouincias à Generali diuidatur; eiſque Prouinciales præficiantur.

346. Hi Charitatem, Manſuetudinem, & Benignitatem Ieſu Chriſti præſeferant; exemplo magis, quàm verbo, ſibi Subditos gubernent.

347. Habeant ſuos Conſultores; quorum confirmationem à Generali poſtulabunt.

348. Nullas ferant Leges, aut latas abrogent, inconſulto Generali, niſi rei grauitas dilationem prohibeat; quòd illicò eidem ſignificent.

349. Ordinationum à Generali editarum promouere obſeruantiam, tenentur; eaſque, ad bonum Regimen ſpectantes, regeſtas conſeruent.

350. Archiuum, in quo Prouinciæ documenta, Suceſſoribus conſignanda, collocentur, Prouincialis in Loco Prouinciæ commodiori componat.

351. Licitum Prouincialibus Vicarium vſque ad noui Prouincialis

crea-

creationem ſcripto relinquere; maximè ſi plurimùm diſtent ab Vrbe, vbi Generalis reſidere debet.

352. Si poſcat neceſſitas, donec à Generali prouideatur, Magiſtros Nouitiorum, & Rectores valeant mutare, vel alios vita functis prointerim ſufficere.

353. Debitum ordinem Prouincię in Scholis, claſſibus, libris perlegendis, & ſpiritualibus exercitiis tueantur.

354. Singulis annis, ad ordinem, & Obſeruantiam continendum in Domibus, per ſe Prouincias viſitent, ſeu legitimè impediti, Viſitatorem expediant.

355. Euchariſtiam in primis, Eccleſiam, Sacrarium, & Valetudinarium luſtrent. A Superioribus ſcitentur, an aliquis exceſſus, an ſuſpectæ familiaritates, an Catecheſis in Scholis, & Eccleſia habeatur? an Infirmis Charitas, & eleæmoſinę pauperibus impendantur? A Subditis autem, quid de Superiore, Alijſque ſentiant, percunctentur. Officinas tandem, cubicula, & lectos, ne quid ſuperfluum, & indecorum habeant, rimentur.

356. Tertio quoque anno, de Generalis facultate, Capitulum Prouinciale pro grauioribus Prouinciæ nego-

gotijs tractanctis, tempore minùs incommodo conuocent.

357. Conueniat ad Comitia Prouinciæ quilibet in ea Rector, cum Socio, per plura secreta suffragia in singulis Domibus electo.

358. Locorum Præpositi, legitimè impediti, ad Prouinciæ Congressum, loco sui, alium expediant.

359. Præses, qui Capitulis Prouincialibus intersit, potest à Generali ordinari.

360. Cuiusque Prouinciæ Comitijs, vel Prouincialis, vel, eo impedito, Primus eiusdem Assistens præsideat.

361. Prouinciarum Capitula eodem Ritu celebrentur, quo Generale.

362. In eiusmodi Prouinciarum Cœtibus eligantur duo Vocales, ad Capitulum Generale progressuri.

363. Ibi per Prouinciales confirmantur, vel abdicantur Confessarij, Concionatores, & Lectores; dummodò ab ipso Generali non fuerint approbati: & Familiæ disponuntur.

364. Deputent in singulis Domibus rerum spiritualium Institutorem: cuius sit cum Superiore Obseruantiam tueri, & præesse Iunioribus, ac si esset Magister Nouitiorum.

365. Junioratus ad triennium, & vltra, Superiorum arbitrio definitur.

366. Rectores eligunt Sacristas, Bibliothecarios, Infirmarios, Ianitores, Custodes Cænaculi, Vestiarij, & Dormitorij; Excitatores ad Orationem, ciborum Emptores, & Quæstores eleæmosynarum; aliquos pariter Magistros pro interim, donec à Prouinciali prouideatur.

367. Semel singulis hebdomadis Rectores ad Prouinciales; singulis autem saltèm mensibus Prouinciales ad Generalem de rebus occurrentibus scribant.

368. Liberum cuique, cum opus fuerit, scribere ad Generalem; cuius literæ à nullo aperiantur, nisi ab eo, cui fuerint inscriptæ.

NOTÆ.

Ad 345. *Si Generali expediens non videbitur nouæ Prouinciæ erectio, poterit Viceprouincia ab eodem institui, & Prouinciæ sibi benè visæ aggregari; eique Viceprouincialis præfici, cum Priuilegio conueniendi ad Comitia prædictæ* Prouinciæ, *tanquam Vocalis; & vtendi Prouincialium Iuribus in suæ Viceprouinciæ Domibus regendis: locum autem habeat vbique immediatè supra Rectores, & Assistentes* Prouincialis.

At

At Viceprouinciales inter se antiquitatis Viceprouinciarum ordinem seruent. Qui verò in tota Prouincia *vices Prouincialis gerit, Vicarius* Prouincialis *appelletur.* *

a. *Prouinciales, prout reliqui Superiores, de consilio, & Voto Assistentium à* Generali *eliguntur.* Alex. *VII.* Const. Cum sicut. & *Clem. IX. Const.* Ex iniuncto. A *solo Generali cum suis Prouincijs dependent.* Capit. Gen. 1637. Vide ad 339. f.

b. *Singuli* Prouinciales *in singulis Domibus* Clausuram *definire tenentur, ad formam Sacrorum* Canonum, & Constitutionum *Apostolicarum.* Capit. Gen. 1677.

c. Prouinciales *nullo quęsito colore à suis* Prouincijs *egrediantur; verùm ibi resideant in* Locis *ad correspondendum cum* Generali, *totaque* Prouincia *opportunioribus.* Cap. Gen. 1637.

d. *Eorum pariter curę commissum, vt in sua* Prouincia *Humaniorum Literarum,* Arithmeticę, *Characterum, Matheseos,* Philosophiæ, *atque Theologiæ Moralis, & Scholasticæ Studia, ad* Generalis *præscriptum, promoueant; attendantque, ne vlli, nisi ex causis suo loco recensitis, eadem differantur; seu intermittantur.* Ex Cap. Gen. 1665. *
Vide ad 248. & ad 252. a. & seq.

e. In-

e. *Interdictum Prouincialibus, transmittere Subditos extra Prouinciam, inconsulto Generali ; & Rectoribus, in alienam Domum , inconsulto Prouinciali*. Cap. Gen. 1677.

f. *Declaratum, Prouinciales posse ferre suffragium tantùm in Capitulis Locorum suæ Prouinciæ, ad negotia congregatis*. Cap. Gen. 1686.

Ad 346. Vide 138; & ad 138.

Ad 347. Vide ad 9. e. & ad 13.

a. *Assistentes Prouincialis votum habent in Capitulo Prouinciali, & locum ante Rectores, eo durante Capitulo.* Ex Cap. Gen. 1665.

b. *Suos Assistẽtes initio Regiminis quisque Prouincialis Generali nominat ex aptioribus suæ Prouinciæ, qui frequentiùs penes se possint residere*. Cap. Gen. 1683. *Non sint autem vnà Rectores, nisi expressa Generalis Dispensatio ex causis benè visis accedat*. Cap. Gen. 1692.

c. *Declaratur, Prouincialium Consultores habere suffragium decisiuum, secretò præstandum, in Vicerectorum, & Promagistrorum Nouitiorum nominationibus; Confessariorum pro Sæcularibus, Lectorum, & Concionatorum deputationibus; prout in admissione Nouitiorum, & in Criminalibus; in reliquis consultiuum tantùm*. * Ex Cap. Gen. 1692. *Propterea virtutibus, &* do-

doctrina emineant. Cap. Gen. 1637. Vide ad 9. d. e.

d. *Si per accidens* Prouincialis *non habeat secum sibi* Assistentes *, per literas eorum consilia requirat* . Reg. Prou. n. 2.

Ad 349. *Tenentur* Prouinciales *in singulis* Prouinciæ *Domibus , non tantùm publicare , sed in primis attendere , vt obseruetur* Capitulorum *Generalium Decreta, quæ vigent; horum exemplaria authentica , in* Archiuis *conseruanda , ad easdem Domos transmittedo*. Capit. Gen. 1637. Vide pag. 33.

Idem de Generalium pro tempore Ordinationibus. * Vide n. 349.

Ad 350. *Archiuum* Prouinciæ *fiat in ea Domo , vbi frequentiùs* Prouincialis *residere consueuit : Ibidem autem asseruentur Ordinationes Generalis, & libri rerum , quæ ad Gubernationem, & vsum* Prouinciæ *communem pertinent ; vt valeant Successoribus tradi*. Reg. Prou. nu. 6.

a. *Superiores quicumque maiores , & minores tenentur* Archiuum *Successoribus consignare , cum respectiuis rerum omnium Inuentarijs , alijsque , ad Officium spectantibus , intra quindecim dies* . Cap. Gen. 1671. Vide ad 226. e.

b. *In* Archiuis Localibus *per seorsiuos libros , vel capita , sit regestum Documentorum omnium Fundationis , ac-*

cessus, & recessus Superiorum, *& Subditorum; obitus Nostrorum, Renouationis Votorum, Decretorum Cœtuum Generalium, & Prouincialium, Ordinationum* Generalis, *Epistolarum notabilium eiusdem, & Prouincialis; Visitationum, & earum Ordinationum; Lectionis tempestiuæ Bullarum cum duorum* Sacerdotum *fide*. Cap.Gen. 1692. *Rerum memorabilium, & quorumcumque* A*ctorum*Capitularium *eius Domus, semper à maiori saltèm parte Capituli subscriptorum*: Cap. Gen. 1637: *& eorum, qui Filiatione Religionis donati fuerint. Quæ quidem Filiatio, nisi probata causa à Generali, vel saltèm Prouinciali in sua Prouincia, aut Viceprouinciali in sua Viceprouincia, nulli omninò tradatur; aliàs inualida censeatur.* *

c. *Archiuum, tàm* Locale, *quàm Prouinciale, aut Generale duplici diuersa claue custodiatur: quarum vna sit penes Rectorem, altera penes Archiuistam, seu, quod idem est, Secretarium Domus, si de Locali; si de* Prouinciali, *vna penes Prouincialem, altera penes vnum ex suis Assistentibus; si de Generali agatur, eius custodia vni ex Assistentibus, &* Secretario *suo à* Generali *committenda.* * Ex Cap. Gen. 1637.

d. *In omnibus Archiuis Documen-*

ta quæcumque respectiuè sedulò seruentur; eorumque suis locis, & pluteis ritè distributorum Index habeatur; nec aliquid ab eiusmodi Archiuis extrahendum, nisi de facultate Rectorum à Localibus, Prouincialium à Prouincialibus, & Generalis Præpositi à Generali: neque sinè testimonio, Archiuistæ tradendo ab asportante: quæ quidem Scripturarum extractio ad breuissimum tempus tantùm, & ob grauiores causas concedenda. Ex Cap. Gen. 1637.

Muneris autem Archiuistarum est, non solùm solers custodia, sed etiam, vt Scripturæ alicuius momenti authenticæ in Archiuis habeantur, cum altero saltèm simplici exemplari. * Ex Cap. Gen. 1637.

Prouincialium, & Superiorum Localium sedulitati commissum, authentica Fundationis cuiusque grauiorum Contractuum, ac Documentorum exemplaria statim ad Archiuum Generale transmittere; vt, si qua emergat controuersia, vsui esse possint in Curia. Cap. Gen. 1659. *Idem de Viceprouincialibus intelligendum.* *

Ad 351. *Prouincialis, graui morbo correptus, potest scripto relinquere Aliquem, qui suas vices gerat vsque ad noui Prouincialis creationem; præsertim, si Prouincia distet ab Vrbe; nequeatque*

per

per Generalem cum Assistentibus celeriter prouideri de Successore. Quòd si non reliquerit; Primus eius Assistens, donec prouideatur, Prouinciam gubernet, Reg. Prou. n. 15.

Ad 353. Singulis annis, ad festum Sanctissimi Nominis Mariæ, Prouincialis catalogum Magistrorum pro singulis classibus, & Præfecti Scholarum, cum alijs Officialibus, à se constituendis, pro vnaquaque Domo dispositis tempestiuè mittat ad Rectores, vt ad instaurationem Studiorum, quid quisque agere debeat, non ingnoret; imò, vt præmonitus ad Ministerium, ex Obedientia commissum, possit ritè se præparare. Quod quidem faciendum, etiamsi Magistri, aut Officiales confirmentur: statimque ad Generalem omnium eiusmodi collocationum catalogum, cum indicatione Ministeriorum cuique collatorum, quotannis transmittat. *

a. *Neminem ante triennium in Domo aliqua consummatum amoueat; nisi ex causis non leuibus citiùs quis videatur transferendus.* Cap.Gen. 1637.

b. *Cæterùm ex Familijs, nec primi, nec secundi Nouitiatus, exceptis personis immediatè à Generali collocatis, liberum Prouincialibus mutare, quos in Domino expedire iudicauerint.* Ex Reg.Prouinc. n. 9. *Præcipuum sui Muneris est,*

Ma-

Magistros omninò habiles singulis classibus destinare. Ibid. n. 8.

Ad 354. Consultum Prouincialibus, *vt cum procedunt ad Visitandum, alterum saltèm ex Assistentibus secum habeant*. Cap. Gen. 1641; *qui Secretarium agat*. *

Prouincialium, *quemadmodum etiam aliorum Visitatorum sumptus viatici, ex causa Visitationis, habita cuiusq; Domus Visitatæ prouentuum ratione, pro rata, ab eisdem Domibus erogentur*. Cap. Gen. 1659.

2. *Inuiolabiliter singulis annis Prouinciam suam* Prouincialis *per se, aut legitimè impeditus, per Alium, qui qualitatibus, à Const. n. 376. requisitis, sit præditus*, Visitabit. *Inter alios autem articulos, à singulis cuiusque Familię, sub formali* Pręcepto *de veritate dicenda, & silentio seruando (Idem* Præceptum *in Visitationibus* Personarum *quilibet Visitator semper imponat) diligenter requiret, quisnam ex Nostris in ea Domo virtute aliqua præcipua, nempe Regularis Communitatis Obseruantia, Charitate, Doctrina, Sedulitate in Instituto, Prudentia, in rebus agendis* Peritia, *ac Dexteritate, vel singulari aliquo Talento, Indole, Idoneitate, vel Industria sit insignitus. Omnium verò depositionum fidelissimum Summarium, ab Actis Visi-*

Visitationis extractum ; suo verò, & Assistentium suorum iuramento, pro veritate, firmatum, & sub formali secreto ab eisdem continendum, ad Generalem illicò transmittet. *

Ad 355. Videnda Synopsis Rituum Visitationis Regularis instituendæ.

Ad 356. *Prouinciales primo Generalatus triennio prematurè moneant Generalem, an adsit iusta causa celebrandi Capitulum Prouinciale Intermedium; quod non aliter, quàm prescribat Constitutio, conuocandum.* * *Singuli præterea Rectores semestri ante Prouincialatus absolutionem, de bono, vel malo suorum Prouincialium Regimine per iuratas literas* Generalem *informabunt.* *

a. *Capitulo* Prouinciali *celebrando definitur tempus Vacationum autumnalium.* Reg. Prou. n. 11.

Ad 357. Vide Synopsim Rituum habendi Capitula &c.

a. *Capitulum Locale, ad electionem Vocalis ad Capitulum* Prouinciale, *neutiquam celebrandum, vbi, præter Rectorem, saltèm tres de Familia non existunt ; ex quibus duo ad minus Vocem habeant passiuam, & vnus actiuam.* Cap. Gen. 1683. *Secùs, solus Rector accedat ad Capitulum* Prouinciale. Ex Cap. Gen. 1683. & 1686.

b. *Seruetur in Capitulis nostris Lo-*

L *cali-*

calibus Decretum Sac. Congregationis die 7. Februarÿ 1648. decernentis, Collocatos de Familia in aliquo Conuentu, nisi per tres menses immediatè proximos Capitulo celebrando ibidem continuò permanserint, non habere votum in electionibus.

c. *Propterea in Hospitÿs residentes, nisi verè sint membra alicuius Domus formatæ, de cuius Capituli gremio censeri debeant; nùllibi Vocem habeant in Capitulis, donec Residentia, in Domum formalem adulta, per se subsistat.* *

d. *Quandocumque* Prouincialis *Capitulis Localibus, aut Aliquis nomine* Generalis, *vel* Prouincialis *Capitulis* Localibus, *aut* Prouincialibus *electionum præsideat, in eis non ferat suffragium, nisi aliàs* Præses *sit de gremio illius Capituli.* Cap. Gen. 1686. *si de negotÿs tamen agatur, fruitur suffragio, vt dictum est.* Cap. Gen. 1686.

e. *Pro obseruantia Decretorum Clementis VIII. editorum die 25. Iunij* 1599. *confirmatorum ab Vrbano VIII. præcipientium, in Superiorum, & Officialium omnium electionibus formam præscriptam à SacroConcilioTridentino, & Ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruari; Vocales Domorum nostrarum, ad Capitulum* Prouinciale *accessuri, non per vota supra medietatem, sed per*

per plura secreta suffragia, sicuti Constitutio nostra, cum specificis derogatorijs quorumcumque obstantium à Sede Apostolica approbata, vt in Paræneſi nu. 6, *præscribit, eligantur: & in Votorum paritate antiquior in Professione habeatur pro electo.* *

f. *Ex vi eorundem Decretorum (quandoquidem Constitutio nostra electionem per calculos non exprimit) quoties in Generali, vel Prouinciali Capitulo, post quintum Scrutinium per Schedulas, electio per vota supra medietatem non habebitur; quinque* Compromissarij, *vt infra subnectitur, eligendi; Alterum ex duobus, qui plura supra ceteros vota fauorabilia in eodem quinto, & vltimo Scrutinio habuerunt, eligere debebunt. Quòd si Vnus tantùm plura, quàm ceteri, vota habuerit; & duo, vel plures sint in paritate votorum, prior ille Vnus cum Antiquiore ex posterioribus* Professo *proponatur* Compromissarijs, *vt alteruter eligatur: si verò multi sint in paritate votorum; & non excedantur ab aliquo, duo ex his antiquiores Professi proponantur* Compromissarijs, *vt præfertur.*

g. *Pro Electione, non nisi per Schedulas habenda, Secretarij, & Adiuncti in omnibus* Capitulis, *& quinque* Compromissariorum, *per singula Scrutinia eli-*

gendorum in Capitulis Generali , & Prouinciali , non requisito excessu supra medietatem, sufficit Votorum pluralitas. Cap. Gen. 1683. 1686. & 1692. *In paritate autem votorum , quorum numerus ab alio non excedatur, Antiquior Professus habeatur pro Compromissario , vel Secretario , vel Adiuncto electus .* Cap. Gen. 1683. & 1686. Vide ad 277. a.

h. *Illi duo , de quorum vno eligendo fit Compromissio , non ferunt suffragium in electione Compromissariorum.* *

Ad 358. *Rectores , qui nolunt accedere , vel legitimè impediti ; ad qualecumque , etiam Intermedium , Capitulum Prouinciale non accedunt , pœnam ipso facto Suspensionis ab Officio incurrant, nisi aliquem, vtraque Voce in sua Familia gaudentem , substituant loco sui ; qui Substitutus vtraque pariter Voce in Capitulo Prouinciali fruatur , tanquam esset eiusdem Rectoris Persona ; inter simplices tamen Vocales in ordine suæ Professionis .* * *In Capitulis Localibus examinentur , & Actis Capitularibus inserantur, quæ in Capitulo Prouinciali erunt tractanda ; sicuti etiam in Capitulis Prouincialibus discuti debent, & in Actis rescribi ea , quæ Generalibus Comitijs erunt proponenda .* Cap. Gen. 1671.

a. Si

a. *Siquis nequeat ob infirmitatem Actibus* Capituli Localis *interesse, & existat in ea Domo, in qua celebratur* Capitulum*, gaudet vtroque suffragio; quod etiam de* Capitulo *Prouinciali, & Generali, vt dictum est.* * Cap. Gen. 1683. *Tunc autem Secretarius, & Adiunctus ad illum, qui aliàs Iuri suo omninò impunè cedere poteſt, accedunt cum vrna, antequàm vlla alia Schedula ſit immiſſa; & Infirmi ſuffragium in eadem Vrna clauſa, cuius clauis remaneat penes Capituli Præſidem, per rimulam excipiunt, & ad locum Capituli reportant.* *

b. *Vocales renuentes, abſque neceſſitate, de qua conſtet authenticè, Capitulis Localibus, ſeu Prouincialibus ad electiones, vel Intermedijs intereſſe, ſi hoc ad eos de Iure ſpectet, loco ſuæ Profeſſionis per triennium priuantur; in* Localibus *autem ad negotia, per annum.* Cap. Gen. 1686. *Hìc aduertendum, eos, qui poſſunt ex Priuilegio accedere, prout Exgenerales, Exaſſiſtentes Generalis, Exprouinciales, Exprocurator Generalis, & Aſſiſtentes* Prouincialis *actuales eſſe ab ea pœna immunes.* Ibidem. *Limitationem de Exprouincialibus* vide ad 368. d.

c. *Qui de Iure ad Capitulum aliquod, qualecumque illud ſit, accedere*

 debet

debet, si legitimè impeditus accedere non valeat, authenticum in scriptis testimonium de legitimo suo impedimento ad idem Capitulum transmittat; secùs verò pœnas renuentium accedere, ipso facto incurrat. *

Ad 360. *Si Prouincialis, aut Primus Assistens, vel alius quicumque, qui sit de gremio* Capituli Prouincialis, *decernatur in Præsidem à Generali, habet Ius ferendi suffragium.* *

Ad 361. Vide n. 263. vsq; ad 318. tàm in Constitutionibus, quàm in Notis, & Synopsim Rituum habendi Capitula.

Ad 362. *In* Comitijs *omnium Prouinciarum, preter duos Vocales, eligi solitos ad Capitulum Generale, Tertius eligatur, qui alterutrius quoquomodo impediti vices gerat.* Cap. Gen. 1665. *Item, siquis Eorum interea moreretur.* Cap. Gen. 1686. *Quod etiam de Prouinciali pariter præpedito, seu defuncto intelligendum.* Capit. Gen. 1683. & 1686. *Caterùm, neque Prouincialis, neque Vocales eiusmodi possunt loco sui alium, seu alios ad* Capitulum *Generale sufficere.* Cap. Gen. 1677.

a. *Quomodolibet autem Tertius eiusmodi electus vices alicuius suppleat, locùm habet suæ Professionis, vel Dignitatis.* Cap. Gen. 1683.

b. *Pro*

b. *Pro eiusmodi Vocalibus, ad Capitulum Generale conuenientibus, singulę* Prouinciæ *, excepta Romana, triginta Romana scutata pro sumptibus erogant Domui Professæ Romanæ, in qua Comitia Generalia celebrantur.* Cap. Gen. 1671.

c. *Prouinciales, aut* Prouinciarum *Vocales de Prouincialium mandato deferant ad Capitulum Generale Compendia historica Vitarum Religiosorum singularibus virtutibus insignium; qui eo sexennio piè diem clauserunt in suis Prouincijs, ad posterorum ędificationem; quemadmodum etiam cætera, quæ per singulas Domos, memoratu digna, in eodem sexennio acciderint.* Ex Capit. Gen. 1692.

d. *Præter assertos Vocales, sex pariter ibidem eligantur Patres ex Grauioribus; de quorum consilio, & assensu in singulis* Prouincijs *Prouinciales designiant super Causis Incorrigibilium; quorum tamen Consultorum, &* Sententiarum *, contra Incorrigibiles prædictos prolatarum, à Generali Confirmatio petenda.* Decr. Innoc. XII. P.M. 1. Martij 1693.

Ad 363. *De Familijs disponendis,* vide ad 232. & ad 35. b. *vbi nullam in quibusdam suarum Prouinciarum Domibus Iurisdictionem habere Prouincia-*

les recensentur. Ideoque *in eis* Authoritate *sua Ordinaria Visitationem non instituant*, Processus *non forment*, Personam *vllam de Familia non collocent, aut amoueant; neque Confessarios, Concionatores, Ordinandos, vel Officiales promoueant*. Caterùm *tanquam* Prouinciales Præpositos *se gerant. Ita pariter Viceprouinciales respectiuè in suis Viceprouincijs*.*

a. *Status cuiusque Domus in* Capitulo Prouinciali *accuratè censeatur, conferendo præsentem Domorum statum cum immediatè præterito; vt maiores, & minores Rectorum industriæ in omnibus pateant. Quicumque autem Rector statum eiusmodi, non detulerit, à duobus saltèm Sacerdotibus suæ Familiæ subscriptum, Voce careat in electione Vocalium pro ea vice*.*

b. *Renuentes prædicto statui subscribere, causam negatæ subscriptionis per secretas literas ipsi Rectori, seù Vocali consignandas, vel alia via dirigendas, apud* Prouincialem *seorsim producant*.*

c. *Eadem pęna mulctantur Superiores* Locorum, *qui suis temporibus contributiones omnes exoluisse per testimonia, à Procuratore Generali collata ibidem non docuerint*.* Vide ad 331. c.

Ad 364. Vide 247. cum Notis vsque ad 256.

2. *Præter Spiritualis Institutoris deputationem, commissa Prouincialibus cum suis Assistentibus Vicerectorum nominatio: qui nimirùm Rectoris absentis, aut legitimè impediti vices gerant. Verùm Hi sint à septennio saltèm* Professi, *& à triennio Sacerdotes. Habeant autem in Domo tantùm sui Vicerectoratus locum post Rectorem.* Cap. Gen. 1671. *Nec alio, quàm Vicerectorum nomine vocentur.* Cap.Gen. 1637. *Eorum eligendorum Ritus est: vt à* Prouincialibus *præsententur; à Generali confirmentur: sintque ad nutum Generalis amouibiles.* Cap. Gen. 1671. *Imò in Vicerectorum nominatione, à* Prouincialibus *facienda, requiritur votum decisiuum Consultorum Prouinciæ: poterit tamen Generalis, vel propositos confirmare, vel alios, pro arbitrio, eorum loco sufficere. In eum finem institutus Vicerector, vt vel ipse, vel Rector omninò semper Domum custodiat. Absente verò Rectore, aliam sibi non vsurpet* Authoritatem*, quàm omnimodæ, cum Iuribus Rectoris, Obseruantiæ inuigilare, atque Instituto: nequeat verò, nisi mandatum expressum habeat, vel sit Vicerector in Capite, vel ea sibi facultas fuerit delegata, Capitulum pro quacumque re congregare; at siquid eiusmodi rerum contingat, ad reditum Rectoris differat;*

 cui

cui quidquid momenti acciderit, renunciet. Cap. Gen. 1692.

Ad 365. Vide ad 250. & ad 256. d.

Ad 366. Sacrista curet, Missarum obligationibus apprimè satisfieri; habeatque libros, in quibus eiusmodi obligationes cum intentionibus offerentium connotentur, ad formam Constitutionis nouissimæ Sanctissimi D. N. Innocentij Papę XII. super celebratione Missarum, editæ 22. Decembris 1697. cum sedula rerum omnium in prædictis literis Apostolicis præscriptarum obseruantia. Item, Regestum singulorum Sacerdotum, quotidie celebrantium. Officiosè, modestèq; Sacerdotes ignotos, absque Testimonialibus ad celebrandum confluentes, dimittat; Rerum Sacrarum Inuentaria instituat. Omnia mundè peragat, & custodiat; maximè, quæ circa Sacrum Conuiuium. Claues Ecclesię noctu Superiori custodiendas deferat. Onerum perpetuorum expositum habeat in Sacrario catalogum. Alternis saltèm diebus Ecclesiam purget; singulis autem octo diebus Aquam lustralem renouandam curabit. Collocutiones tamen in primis, atque strepitus quoscumque arcebit à Sacrario, & Ecclesia, verbis, & exemplis, alios commonendo. Reg. Sacr. & P. 1. c. 8. *Const*. n. 82. &c.

a. *Bibliothecarius sit Vir eruditus; pa-*

paratum habeat totius Bibliothecæ Inuentarium, ritè ad libros facilè in pluteis inueniendos confectum; nullum patiatur librum asportari, nisi priùs inter Commodatos descriptum, & nisi facultas Superioris accedat. Semper *compositam, & mundam Bibliothecam teneat, libros à puluere, tineisque reparando. Solertique cura nouis libris augeri Bibliothecam quærat, suggerendo Rectori, quotannis opportunè cumulandam, ex præscripto* Cap.Gen. 1683. Reg. Bibl.

b. *Infirmarius (præter ea, quæ dicta sunt*Conſt.n. 91.& ſeq. cum Notis) *sit Solertia, & Charitate præditus. Bis in mense, vel etiam frequentiùs deferri ad ęgrotos Eucharistiæ Sacramentum satagat; aliĵsque Sacramentis tempestiuè muniri, antequàm vsum iudiciĵ amittant. Item suæ curæ sit, vt aliqui moribundis assistant, ad actus Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis leniter adhortantes:* Cum *quis in vltimo vitæ conflictu constituitur, ad orandum pro morituri anima conuocet signo Campanulæ* Communitatem. *Semper adsit Medico aduentanti, vt eius ordinationes ad vnguem obseruandas, circa victum, & medicamenta scripto excipiat. Obseruet synthomata, vt de ipsis Medicum certiorem reddat. Sedulò munditiem in cellis, & teculis Infirmorum curet, lectulos quo-*

tidiè sternendo ; sordes vel minimas abstergendo : flosculis etiam , & ramulis, ad exhilarandum ægrotum , & ad suffitum auertendum, cubiculum ornet ; semper autem religiosissimè infirmos alloquatur , & patienter ferat. Reg. Infirm.

c. *Ianitor ante primam horam noctis fores claudat , clauesque ad Superiorem deferat ; quas manè ab eodem recipiat . Sit modestus , discretus , ætate grauis, & sedulus . Pauperibus , & reliquis aduentātibus benignè respondeat . Mulieres autem perpaucis expediat; Domesticos ab Externis conquisitos admoneat campanula . Tempore tamen Orationis , & Mensæ neminem vocet , nisi aliter negotij grauitas , &* Personarum *dignitas requirat . Preces ab Exeuntibus, & Redeuntibus dici consuetas iuxta* Rit. c. 5. n. 8. *cum Aqua lustrali habeat alicubi expositas , cum singulorum nominibus in tabella descriptis: ita ut quisquis egreditur , apponat , reuertens autem , proprio nomini signum detrahat . Statis temporibus aperiat , & claudat Gymnasia . Signo particulari moneat Infirmarium de Medico aduentante ; nullas literas , nullum Depositum , sinè Rectoris venia , cuiquam reddat , vel conseruet .* Reg. Ian.

d. *Refectorij Præfectus munditiem vbique procuret ; manibus abluendis, & abster-*

abstergendis aquam, & mantilia custodiat; nihil sinè placito Superioris cuiquam tradat; reliquias Mensæ Coquo reddat, seu Dispensatori. Catalogum familiæ ponè suggestum Lectoris habeat; à quo in fine Cœnæ Sabbati proferantur nomina Ministrorum sequentis hebdomadæ: qui sunt: Hebdomadarius, Lectores ad primam, & ad secundam Mensam; & Inseruientes vtrique. Separata pro Hospitibus, & Valetudinarijs sit Mensa: qui Valetudinarij, tempore saltem Aduentus, & Quadragesimæ, si cibis Paschalibus vtantur, conueniant signo aliquo dato, per semihoram ante Communem. Reg. Præf. Refect.

e. *Vestium Custos, tàm laneam, quàm lineam supellectilem ritè dispositam, resartam, & mundam in communi Vestiario custodit: quam iuxta cuiusque indigentiam distribuit, & purgari, ac innouari procurat.* Ex Reg. Cust. Vest.

f. *Dormitorij Præfecti Munus est munditiem per totam Domum Regulariter promouere; adeoque, vt bis in hebdomada scopis mundetur; araneæ, pulueresque discutiantur; parietes instaurentur; fenestræ tempestiuè claudantur, & aperiantur; lampas tota nocte colluceat; & quidquid ornatui Religioso sit opportunum, per Sacras, & eruditas*

Ima-

Imagines, diligenter apud Superiorem promoueat. *

g. *Excitatoris ad Orationem, qui Munus etiam Horarij, vel Inuisoris Dormitorij potest exequi, erit vespere per triplicem tinnitum campanulæ dare signum ad quietem nocturnam, quadrante, scilicet, circiter post benedictionem vespertinam. Indè lustret cubicula, moniturus, vt lumina non extincta extinguantur; nisi quis à Superiore licentiam habeat pro aliqua vigilia nocturna.* Reg. Excit.

h. *Emptor ciborum sit rerum comparandum peritus, & fidelis: honesto pretio res emat; easque cum pretio in suum Diarium referat, rationem redditurus Rectori, aut Oeconomo singulis diebus de sumptu quocumque. Nulla in comparando verba, nisi religiosa, proferat, quæ Charitatem sapiant, & Modestiam, ad eorum, cum quibus agit, ędificationem. Res emendæ sapiant quidem simplicitatem; caueat verò à noxiarum prouisione.* Reg. Coq.

i. *Questores eleemosynarum diligenter quærant, fideliter custodiant, deuotè petant, modestè respondeant, parcè interrogent, exemplariter ambulent; patienter ferant contumelias. Peras pendentes ab humeris; Deiparæ Rosarium, seu Coronam præ manibus habeant*

beant, & pro Benefactoribus orent. Reg. Quæst.

k. — *Consueuit præterea in suis Domibus Rector Præfectum rerum sacrarum, Receptorem Hospitum, Dispensatorem, &* Coquum *instituere.*

l. *Præfecti rerum sacrarum canones habentur* in Const. num. 82. vsque ad 90. cum Notis.

m. *Receptor Hospitum cellas pro illis destinatas, ad munditiem, custodiat; religiosa hilaritate semper eosdem recipiat, & cum illis agat; à nimia familiaritate cauendo: Hospitum lectuli culcitris, ceruicalibus, & puluinaribus mundis sternantur. Siquid per obliuionem ab Hospitibus relinquatur, nunciet* Superiori. *Hospites Nostros, prout opus erit, statim refici, eisque pedes lauari curabit, addito Mensę communi vno, vel altero ferculo per triduum, & vltra, si diuturnum, & laboriosum iter fuerit.* Ex Reg. Recept. Hosp. Vide ad 167.

n. *Dispensator* Penum *custodiat; in quo rerum ad victum spectantium curam habeat; nihil dispenset, nisi de Superioris mandato; nihil dissipet; nihil sinat corrumpi; nihil distrahat; necessaria petentibus, ad nutum Superioris, non deneget; sed neque superflua largiatur.* Off. Disp.

o. Coquus *ęquam omnibus portionem,*

nem, eundem ferculorum numerum in vtraque Mensa, nisi aliter Superior, vel Infirmarius ordinet, impertiatur. Nemini cibos peculiares, inscio Superiore, ministret. Summopere nitori cum Paupertate in cibis, & in reliquis, ad Culinam pertinentibus, omninò studeat. Quę supersunt ex Mensa, conseruet, seu, ad Rectoris præscriptum, Pauperibus distribuat. Reg. & Off. Coq.

p. *Rector curabit, rerum omnium eius Domus, cui pręficitur, Inuentaria continuò fieri: quorum vnum in* Archi*uo Locali, alterum in Prouinciali asseruetur.* Cum *verò alicui Officium demandat, rescriptum illius Officinæ Inuentarium de rebus tunc existentibus consignet; quòd si noui aliquid eidem Officinæ accedat, Inuentario inscribatur, quemadmodum consumpta deleantur.* Reg. Rect. num. 20. Vide ad 226. b.

Ad 367. *Res à Rectoribus ad Prouincialem scribendæ, sunt: Casus extraordinarÿ; Eleemosynæ insigniores; Status Domus, & Scholarum; Valetudo Religiosorum; Culpæ grauiores; Expensę extraordinariæ supra decem aureos factę; quę nonnisi de consensu Capituli fiant; Actus literarÿ celebriores; & quomodò se quisque gerat in Munere.* * Reg. Rect. num. 18.

Ad 368. Vide ad 137. *Hic præterea*

te.

recolenda iniuncta circa Recursus obseruantia; nimirum, Subditi gradatim à Rectore ad Prouincialem; à Prouinciali ad Generalem, occasione grauaminum, Recursum habeant, Superiore minori, à quo appellatur, informante statim de Causa Maiorem; ad quem quis appellat. *

a. *Qidquid facultatum, seu Indultorum quis à Generali, seu Prouinciali obtinuerit, nisi de secretis agatur, statim Superiori Locali, vel etiam Prouinciali respectiuè communicet.* *

b. *Caueat quisque, ne quenquam falsò accuset; secùs, deficiens in Probatione, pœnam Talionis patiatur.* Can. Pęn. c. 8.

c. De literis missiuis, videndę Notæ ad 137.

d. *Qui per triennium fuerit Prouincialis, & non ob culpam ab eo Munere depositus, votum habet in Capitulis* Pro-*uincialibus eiusdem tantùm, cui præfuit, Prouinciæ, si tunc in ea commoretur.* Cap. Gen. 1665.

De

De Viſitatoribus.

CAPVT V.

369. Viſitatores, pro excolenda Obſeruantia, ad Prouincias, vel Domos, Generalis arbitrio, ordinantur.

370. Viſitator luſtrat Sacrum, Conuiuium, Sacrarium, Supellectilem Domus, & Eccleſiæ; ſingulas Officinas, Cubicula, Rationes Dati, & Accepti.

371. Infirmos adit, audit, & conſolatur.

372. Perſonas auditurus, præmonet, ne dicenda taceant; ne ſilentio premenda, & emendata producant.

373. Scitatur à ſingulis de Regularis Obſeruantiæ, atque Concordiæ cultu; de Scholarum Piarum Inſtituto; de Magiſtris; de Oratorijs, & Chriſtiana Catecheſi.

374. A quibus ſibi videbitur, exiget conſcientiæ rationem.

375. De initæ Viſitationis exitu, rebuſque in ea compertis inſtructum reddet Generalem: qui pro rerum neceſſitate conſulat.

376. Sit Viſitator Idea virtutum:

vtatur victu communi : & à Nostratum Consanguineis nihil munerum admittat.

377. A Domibus Visitatis Viaticum suppeditetur Visitatoribus.

378. Rebus, quæ præsens remedium postulant, pro sua prudentia consulat; statimque de rebus, & remedijs Generalem certiorem faciat.

379. In eos, qui vel publica, vel priuata censura digni comperti fuerint ex Visitatione, prudenter animaduertat.

N O T Æ.

Ad 369. In aduentu, & discessu Visitatorum (prout Generalis, & Prouincialis) dato statim signo campanula, tota eius Loci Familia occurrat in obsequium, & ab eis genuflexa petat benedictionem. Rit. c. 8.

a. *Tempore Visitationis Authoritas Rectoris sileat; nisi aliter Visitator promulget.* Ibid.

b. *Visitatores Generales præcedunt Prouincialibus, non solùm tempore Visitationis, sed etiam quandiu non fuerint à Generali reuocati.* Cap. Gen. 1637. & 1683.

c. *Eiusmodi Visitatores, aut Commissarij ferunt quidem suffragium in Capitu-*

pi tulis Locorum ad negotia , non autem ad electiones . Cap.Gen. 1686.

Ad 370. Vide Synopsim Rituum pro Visitationibus &c.

Ad 372. *Moneat omnes , antequam personarum Visitationem aggrediatur Visitator , ne odio, vel rancore , seu priuatis affectibus duci se sinant in deponendo ; sed vnius Obseruantię, bonique ordinis Zelo, ac desiderio ducantur.* Reg. Visit. num. 4.

Ad 374. *Ad Obseruantiæ Regularis perfectionem summopere pertinet, vt interioris hominis ratio Superiori exactè reddatur : & cum hac in re cœperit defectus obrepere , veri Spiritus feruor in Religione minuitur , ac deficit .* *

2. *Tam in exigenda , quam in reddenda conscientiæ ratione referandum quidquid intrinsecùs latet , scilicet : An quis Vocatione contentus viuat ? Quo cultu quis Obedientiam ,* Paupertatem , *Castitatem , Institutum Scholarum , & Solemnem Graduum omnium abdicationem ex animo prosequatur? Quibus maximè perturbationibus, ac tentationibus quis prematur ? & quæ illis reluctandi ratio , & facilitas ? Quibus potissimùm vitijs trahatur ? Quas inspirationes , & ad quas virtutes propensionem præ cæteris habeat ? Quę sibi Constitutionum , & Regularum sit grauior ? Quid sentiat de* me-

medijs à Religione propositis ad perfectionem assequendam? Vtrùm habeat aditum ad mentaliter, & vocaliter orandum? An spiritualibus affectus? An tædium, ariditatem, & vagationes inter orandum patiatur? Vtrum à Sacramentorum frequentatione, alijsque spiritualibus exercitijs, & maximè à reddenda conscientiæ ratione robustior fiat in via Domini, nec ne? Quæ sit in Regulari Obseruantia sedulitas? Quas priuatim exerceat mortificationes? An aliquem peculiari affectione, seu auersione prosequatur? An filialiter cum Superioribus agat? & eiusmodi; quæ hominem interiorem dirigendum recludunt. Pro quibus omnibus Visitatores, & quicumque conscientiarum rationem excipiunt, parata habeant spiritualibus morbis antidota, doctè, fortiter, suauiter, & opportunè applicanda: meminerint autem quidquid ea occasione audierint, sub arctissimo secreto fidei suæ concreditum. *)

Ad 377. *Quemadmodum Prouincialium, ita & Visitatorum Generalium sumptus viatici à Domibus Visitatis exigantur, habita inter eas redditùum ratione.* Cap. Gen. 1659. *Quòd si Visitator, seu Præses aliquis mittatur à Generali ad præsidendum Capitulo Prouinciali, viaticorum taxa, tàm pro accessu, quàm pro recessu in ipsis Prouin-*

ciæ Comitijs fiat: Cap. Gen. 1665. *Idem de Prouincialibus, & Prouincialium Assistentibus, Capitulum Prouinciale adeuntibus, obseruandum.* * *Domus autem, ad cuius Locale Capitulum Præses mittitur, eiusmodi oneri ex integro subiaceat.* *

2. *Quiquid præcipitur de Visitatoribus, Commissarijs applicandum. Quos quidem potest Generalis instituere cum Authoritate sua delegata, eos assumendo ex Viris prorsùs indifferentibus; ne aliquam Partibus inferant suspicionem. Tandem eorũ duratio cessat, cùm Causa Commissionis, ad mentem Committentis, fuerit expedita; sed expectata ab Eodem cessationis declaratione.* * Cap. Gen. 1692.

b. *In Capitulis Localibus ad electiones, quemadmodum* Prouinciales, & *Visitatores; ità Commissarij non suffragantur: ad negotia tamen ferunt suffragium.* Cap.Gen. 1686.

De Confessarijs.

CAPVT VI.

380. Confessarij Scholasticorum sint, si fieri potest, ætate graues, qui

qui Charitate, exemplo, & eruditione faciliùs adoleſcentes ad integrè confitendum alliciant.

381. Facili aliqua methodo puerorum conſcientias rimentur; eoſque Sanctorum exemplis ad virtutum amorem, vitiorumque horrorem ſuccendant.

382. In audiendis Iuniorum Confeſſionibus, aſpectum ab eis auertant.

383. Gratiſſimum Deo facit, qui puerorum Confeſſiones excipit.

384. Ad Sæcularium Confeſſiones audiendas, Generalis, aut Prouincialis facultas accedat; quæ Viris tantùm moribus, ætate, doctrinaque maturis fiat,

385. Antequàm quis Ordinario Loci præſentetur examinandus, ad Confeſſiones audiendas, aut Ordines ſuſcipiendos, habeat Superiorum Teſtimonia; ſitque Scientia, & Virtutibus ornatus, & antea priuato Religionis examini ſubiaceat.

386. Nemo, licet ab Ordinarijs approbatus, abſque ſui Superioris conſenſu, ad Confeſſiones audiendas accedat.

387. Mulierum Confeſſiones in Eccleſia tantùm audiantur, excepto neceſſitatis caſu: tunc autem Socius

in eo loco sit, ex quo Confessarium, & Pœnitentem perspectos habeat.

388. Nullus à Pœnitentibus, vel alijs quidquam, etiam ad eleemosynas, aut restitutiones faciendas, sinè placito Superioris accipiat.

389. Moribundis affuturi habeant in promptu, quæ opportunè suggerant; ibique tandiu consistant, quandiu sola necessitas postulauerit.

390. Confessarij Sæcularium sedulò puerorum Confessiones, pro debito, excipiant.

N O T Æ.

Ad 380. *Confessarij, Sæcularium Confessionibus audiendis præficiendi, sint anno saltèm trigesimo ætatis maiores; nisi aliter Generali videatur*. Reg. Confess. nu. 1. Cap. Gen. 1959.

a. *Qui examinant Confessarios, & Ordinandos, videant, vt non solùm sint* Pro*fessi, sed etiam Scientia, & Virtutibus ornati*. Reg. Exam. nu. 5.

b. *Reseruantur vbique Superioribus Casus omnes à Clem. VIII. assignati* 26. *Maij* 1593. *ad formam, & numerum ibidem præscriptum*. Cap. Gen. 1659.

c. *In singulis Prouinciarum Domibus duo saltèm Sacerdotes, ad Religiosorum Confessiones audiendas, per* Pro*uin-*

uincialem deputetur. Cap. Gen. 1637. *Plures etiam pro maiori Subditorum numero. Clem. VIII. c.*Sanctissimus, §.Superiores. 26. *Maij* 1593.

d. *Confessarij scholasticorum, si fieri potest, sint senes.* Reg.Conf. nu.9.

e. *Confessarij Nostrorum specialiter deputentur; nec satis est, quòd fuerint approbati ad Secularium Confessiones audiendas: pro Nouitijs autem eorum Magister à Clemente VIII. statuitur. Iuniorum Confessiones Institutor Spiritualis excipit ex Officio.* *

f. *In Locis, vbi sunt plures Domus nostræ, Confessarius vnius potest alterius Familię Confessiones audire; dummodò specialiter fuerit, sinè restrictione Domus, ad Confessiones Nostrorum audiendas designatus.* Pro *Sæcularibus verò, de licentia* Prouincialis, *aut Rectoris.* *

g. *Confessarij Hospites, Domum aliquam ex nostris obiter attingentes, nequeunt sinè speciali* Prouincialis, *aut Rectoris facultate cuiquam ex Nostris, aut Sæcularibus esse à Confessionibus.* * *In itinere ibi tantùm, vbi nullus Confessarius, pro Nostris deputatus, haberi queat, quilibet simplex Sacerdos ex Nostris in supplementum deputatus intelligatur; nisi aliàs prohibeatur.* *

h. *Deputati pro Confessionibus, tàm*

Domesticorum, quàm Externorum in vna Domo, non intelligantur deputati pro alia, si diuersa sit Ciuitas, Oppidum, seù Locus; nisi expressa Generalis, aut Prouincialis intercedat licentia. Propterea in eorum Patentibus definiatur, an pro tali Domo, vel pro tota Prouincia *quis approbetur; sinè qua quidem facultate scripto accepta, nemo Confessiones cuiusque excipiat, nec approbatus censeatur*. Ibid.

Ad 385. *Exprouinciales, & Exrectores, licèt in aliam Prouinciam translati, sinè præuio examine possunt in Confessarios Nostrorum à Prouinciali, seu etiam in casibus necessitatis à Rectore, monito tamèn statim Prouinciali, deputari*. Cap. Gen. 1686. *Ita pariter de Assistentibus, & Procuratore Generali absolutis*. *

a. Pro *reliquis, priuatim, antequàm Ordinarijs* Locorum *præsententur, examinandis; quemadmodum pro admittendis ad Habitum, & eiusmodi, Prouinciales initio sui Regiminis deputent Examinatores, etiam ad Confessarios prò Nostris examinandos*. * Cap. Gen. 1637; *qui sint cum ipso* Prouinciali *eius Consultores, & Rector Domus*. Ex Decr. Clem. X. die 18. Martij 1676. *Quibus etiam, id præstare non valentibus, alij ad placitum Prouincialium*

benè

benè visi substitui poterunt, quemadmodùm alias superaddi. Sed quale votum habeant, vide ad 9. d. e.

Ad 387. Cautum, ne quis Confessiones audiat in cellis, aut alijs locis, quam designatis à Superiore; nisi ex causa infirmitatis, alioue legitimo impedimento. Reg. Confess. n. 4. Vide Const. n. 76.

Ad 390. Quoniam nunquam satis de conscientiarum regimine à quoquam scitur, curabit Rector, vt Conferentia *Casuum conscientiæ, seu Sacræ Scripturæ bis per singulas hebdomadas ad formam Decr. Clem. VIII.* nu. 3. *habeatu: ad quam omnes conueniant*, Præside *aliquo in ea re perito, qui solidè super propositis Casibus definiat.* Ex Reg. Rect. nu. 21.

a. *Lector subindè, seu Præses Moralis à Prouinciali quotannis deputetur, cum cæteris cuiusque familiæ Magistris, & Officialibus; qui sit rerum Theologicarum in Moralibus ritè peritus, & non modò Regulares eiusmodi Lectiones habeat; verùm etiam conscientiæ Casus, vbi fieri poterit, publicè doceat.* *

b. *De Rebus autem parùm pudicis, vel nihil, vel generatim omninò, & modestissimè.* *

c. *Nulla contentio, nulla laxarum Sententiarum defensio permittatur; verùm omnia pro securiori, & saniori con-*

ſcientiarum directione tractentur, nunquam contra mentem Angelici Praeceptoris. *

De Concionatoribus.

CAPVT VII.

391. His tantùm ex Noſtris Prædicationis Munus committatur, qui Virtutibus, & Indole præfulgent.

392. Concionatores, non minùs benè agendo, quàm benè dicendo, perſuadeant.

393. Nemo publicè concionetur, qui priùs priuatim in Menſa ritè non declamauerit, & fuerit à Peritis inſtructus.

394. Sit Concio quæcumque ad captum, & frugem auditorum, & res dicendæ ſtudio, & Oratione præueniantur.

395. Sinè Generalis, aut Prouincialis licentiâ nemini licitum publicè concionari.

396. Per Aduentum, & Quadrageſimam extra noſtras Eccleſias nemo quisConciones habeat;alijs verò temporibus, non leui de causâ, indulgeatur.

397. For-

397. Forma Concionum in Ecclesijs nostris habendarum sit familiaris, iuxta Institutum S.Philippi Nerij.

398. Id vnum à nostris Concionatoribus intendatur; vt mores reformentur; animique auditorum amore Dei, mundique contemptu afficiantur.

399. Ab affectatis, & inutilibus quisquis in concionando non abstinuerit, Officio Prædicationis abdicetur.

400. Siquis publicus Concionator existat, habere conciones ad pueros non dedignetur: quos suæ virtutis exemplo, facilique doctrinâ, Sanctorum gestis roboratâ, diuinis mancipet obsequijs.

401. Nullum pro Concionibus exigatur stipendium: siqua tamen offeratur eleemosyna, Æconomo tradatur.

NOTÆ.

Ad 391. Rationem domesticarum Concionum habendarum vide Const. n. 116 & ad 116.

Ad 396. Esse penes Authoritatem Generalis dare facultatem concionandi extra Ecclesias tempore Aduentus, & Quadragesimæ, declarat Cap. Gen. 1686.

 a. An-

2. *Antequàm quis ad verbi Dei prędicandi Ministerium efferatur, eius capacitas per Examinatores exploretur.* Reg. Concion. n. 2.

De Ordine, & Loco cuiusque inter se.

CAPVT VIII.

402. Generali Assistentes iuxta gradum Professionis; Prouincialibus Visitatores tempore Visitationis; Rectoribus Sacerdotes; Clericis Professis Hospites: Operarijs Professis Nouitij, seruato Professionis respectiuè, seu Admissionis ordine, succedant.

403. Inter plures eadem die Professos præcedit, qui fuerit in antiquiori Domo professus.

404. Sacris Ordinibus initiati præcedunt Clericos Minoribus insignitos: verùm, his ad Sacros item promotis, ordo Professionis recurrit.

405. Suâ culpâ Professionis locum amittens, remissâ sibi penâ, non pri-

pristinum suæ Professionis, sed Ordinum locum obtineat.

406. Enixè Superioribus commendatur Constitutionum custodia,& inobseruantiarum punitio.

407. Pœna tantùm ad Superioris arbitrium, non autem culpa, ex alicuiùs Constitutionis transgressione incurritur; dummodo aliquod ex Votis non violetur, seu aliquid contra Ius Naturale, Diuinum, vel Ecclesiasticum non committatur.

NOTÆ.

Ad 402. *Exgenerales vni subiacent Generali.* Gen. Cap. 1671. *Ante actuales Generalis Assistentes locum babent, seruato inter ipsos ordine Professionis.* Cap. Gen. 1692. Vide ad 324. e.

a. *Exassistentes modernè ab Officio absoluti, durante Capitulo Generali, Locum habent immediatè post nuper electos Assistentes; alibi suæ Professionis, vel Prælationis ordine fruuntur.* Cap. Gen. 1665. Vide ad 343. b. c.

b. *Non obstante Decreto Capituli Generalis* 1659. *definientis, Procuratorem Generalem habere Vocem, & locum in Capitulo Generali post Prouinciales, declaratum in Capitulo Generali* 1683. *præcedere Prouincialibus in Vrbe tantùm.*

c. *Visitatores Generales, & Commissarij præcedunt Prouincialibus, durante Visitatione, vel Commissione.* Cap. Gen. 1683. *Imò quandiu Generalis eos à Munere non reuocauerit,* Capit. Gen. 1637. Vide ad 369. c.

d. *Prouinciales in Capitulo Generali locum habent secundùm Prouinciarum antiquitatem.* Capit. Gen. 1659. *Quod vbique seruetur, si plures conueniant.**

e. *Assistentes Prouincialium toto tempore Capituli Prouincialis gaudent loco vbique ante Rectores.* * Capit. Gen. 1665. *Alibi manent in ordine suæ Professionis.*

f. *Rectores in Capitulis Prouincialibus, & extra Capitula præcedunt iuxta Domorum antiquitatem; sicuti Prouinciales antiquiorum Prouinciarum. Si plures Rectores electi fuerint in Vocales, ad Capitulum Generale, vicissim inter se Professionis locum seruant; prout pariter iuxta eandem Professionem præcedunt Vocales nulla Dignitate insigniti.* Cap. Gen. 1677.

g. *Ita etiam Vocalis Tertius, eligi solitus in supplementum Prouincialis, aut primi, vel secundi Vocalis ad Capitulum Generale, si, aliquo eorum impedito, vel defuncto, accederet.* Cap. Gen. 1683.

h. *Non secùs, qui fuerunt, vel Assi-*

ſtentes Generalis, vel Procurator Generalis, aut Prouinciales, quando ex Priuilegio Vocem habent in Capitulis Prouincialibus; ſedent in ordine ſuę Profeſſionis, aut Prælationis, ſiquam gerant. Cap. Gen. 1665.

i. *Vicerectores immediatè ſuis Rectoribus aſſident, & alijs præcedunt in ea tantùm Domo, in qua vices gerunt; alibi locum ſuæ Profeſſionis tenent.* Cap. Gen. 1637. & 1671.

k. *Quod pariter omninò de Reſidentiarum, ſiue Hoſpitiorum Superioribus.* *

l. *Hoſpites habeant vbique ſedem ſeorſiuam in loco Refectionis, ne fiat ex eorum aduentu locorum confuſio; alibi verò Profeſſionis, vel Gradus. Quòd ſi plures conueniant, locum viciſſim ſuæ Profeſſionis, vel Dignitatis occupant.* *

m. *Quisquis ad aliam Religionem tranſierit, ſi redeat, locum habet vbique à die reditus tantùm.* Cap. Gen. 1641.

Ad 403. *Quoties aliquis ad Habitum, aut Profeſſionem admittitur, non modò dies, ſed hora etiam, & huius pars connotetur; vt tàm inter Admiſſos, quam inter Profeſſos eadem die habeatur Domus antiquioris ratio, niſi temporis obſtet anterioritas.* *

Ad 405. *Sua culpa Profeſſionis locum amittens, non quidem ad tempus limitatum,*

tatum, sed absolutè, vel per nostras Leges, vel per Sententiam; remissa sibi pęna, non aliter locum habeat, quàm si in die remissę pœnæ Professionem emisisset; sicut euenit in ÿs, qui ad aliam Religionem transeuntes, postea redeunt, vt paulò superiùs dicitur. *

Ad 405. *Legum, & Constitutionum quarumcumque Religionis, custodes, zelatores, & promotores edicuntur Superiores omnes, quocumque nomine nuncupati*. Cap. Gen. 1659.

Ad 407. *Quid pœnarum pro transgressionum qualitate sit cuique infligendum, recensent Canones pœnales, duodecim Capitibus absoluti, & confirmati à* Cap. Gen. 1686. *Quibus accedit Caput decimum tertium, complectens pœnas, in Capitulis Generalibus contra nonnullos errores inflictas.* *

A. M. P. I.

INDEX

Rerum, & Verborum.

Primus numerus paginam; Secundus locum; Literæ a. b. c. &c. *paragraphum indicant*.

A

B

C

Ca-

Con-

D

Dra-

Ex-

F

Oc-

G

Iani-

I

L

M

Mo-



N

O

P

 Pro-

Q

Re-

R

Prou.

S

Se-

T

V



